



I. F. Hess. del: 1663. Daniel [illegible] sculp:



COROLLA
OECODOMIÆ
MINORITICÆ SCHOLÆ
SALOMONIS
DOCTORIS
SVBTILIS,

Sive

PARS ALTERA

MANVALIS SVMMÆ

totius Theologiæ Speculativæ
complectens Tractatus
De Virtute, & Statu Religionis,
Decimis, Voto, Indulgentijs, Purgatorio, etiam S. Patritij, Censuris, Religiosorum Exemptionibus, & Privilegijs.

AVTHORE
R. P. F. ANTONIO BRUODINO
Tuomoniensi Hiberno, Ord: Min: Strict: Observant: Reform: Lectore Jubilato, Almæ Provinciæ Bohemiæ quondam Definitore, nec non Conventûs Pragensis B. V. ad Nives Professore Primario.

PERMISSU SUPERIORUM,

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferd: in Collegio Societ: JESU ad S. Clementem.
M. DC. LXIV.



REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI
F.ri MICHAELI ANGELO
à SAMBUCA,
TOTIUS ORD: MINORUM
S. P. N. FRANCISCI
MINISTRO GENERALI
DIGNISSIMO,

Patri ſuo, ac Superiori Gratioſiſsimo.



*T jam Sapientiſsimus Regū Salomon,** cui dederat DEUS prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris, † ligna cedrina exciderat in columnas, & tabulatis cedrinis veſtiverat totam Cameram, quæ qua-

* 3. Reg: 6. v. 29. † Ibid: 7. v. 3. & 8.

quadraginta quinq; columnis sustentabatur; *jámq; epystilia supra columnas fecerat; cùm porticum quoq; solij, in quo Tribunal erat, fecit, & texit lignis cedrinis à pavimento usq; ad summitatem: & domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu simili opere.* Minoriticus *etiam* Salomon Pater Reverendissime, JOANNES SCOTUS; *ubi jam* OECODOMIAM *suam, me Architecto, quadraginta quinq; sustentavit columnis, totidémq; problematicè exornavit epystilijs, Parte primâ hujus Manualis, ne* Regio *quid cessisse videatur*, Domunculam, *in qua ad judicandum sedeatur, simili opere exædificet oportet. Verùm ne prœmaturo quid statuat judicio, in hac potissimùm, in qua de Judice lis est materia, Te consulit* Pater Reverendissime, *Tibi litem de* Iudice *sistit dirimendam, nec aptiorem liti posueris terminum, quàm si in hac* tribunalitia Judex *consederis* Domuncula. Te Judicem *postulat, sub* Tuis auspiciis Tribunal *intendit statuere, sub* Tuo Nomine Domunculam, *in qua sedeatur ad judicandum exstruere, Tuóq;* gubernio *tradere desiderat. Agedum prosperare vota ne differas, multo siquidem opus non est conamine,* gratiosa *sufficit* annuentia. *Nec est, quod de Tua solliciteris sufficientia, cùm, etiam Te tacen-*

te,

te, genuina Virtus Tua, summâ Sapientiæ vis, *inq; rebus agendis* Prudentia, *undequaq; sufficientem proclamat: neq; in alieno* Judicem *ages foro, quia* Religiosus *es, & Virtuosus, pertractanda verò in hoc* Iudicio, *de* Virtute *&* Statu Religionis, *de* Indulgentijs, *&* Privilegijs, Exemptionibúsq; Religiosorum *ab Episcoporum Iurisdictione, venit materia.* Religiosum Te *quis dubitet?* Generale *enim* totius Ord: Min: Caput *es; Téq;* Virtuosum, *eadem ad tam præcellentem dignitatis gradum sublimatio (cùm non nisi* Virtus *digna in arduis collocari) luculentissimè declarat.* Sapientiam *verò numeris omnibus absolutam adeò Tibi desponsâsti, ut, Tune illi, an illa Tibi plus debeat, penitus ignorem; mihi tamen videtur, illam plus Tibi debuisse, (quin & debere adhuc) quia* Te Principem constituit super omnes animas Ordinis Seraphici suscipiendas, *nec immeritò quidem, oportebat enim, ut quod in Tuo obscuriùs prælusit* Nomine Virtus, *id effectui illa, lucidiùs demandaret. Ergone* Princeps *es* Tu? *parces spero* Pater Reverendissime, *parces & patieris* Te Principem *proclamari, es etenim, nec opus est amplioribus hoc comprobare argumentis, dum munere illo, quod ei, cujus* Nomine *gaudes, proprium est, præclarè fungeris; verbo dicam:* Michaël *vo-*

caris, & es, adeóq; dignissimè Princeps super omnes animas Ord: Seraphici suscipiendas cõstitutus. *Porrò* Michaël (*si D. Gregorio fides habenda* *) quis ut DEUS? *dicitur*: *& Tu propè* DEI NomenTibi *vendicas, quando vicè ejus* Generalis noster inaugurat Superior in terris *geris. Sed &* Angelus es: *quia* Minister Generalis & servus omnium Fratrum; *non abs re igitur Te, qui* Angelus *diceris*, Divina, *quæ* ministros suos facit ignem urentem†) Providentia, Ministrum *fecit: sed &* ignem urentem *fecit; dum ignitâ* Charitatis *flammâ sic Tua succendit præcordia, ut non nisi* Charitatem *spires*, Charitatem *loquaris*, Charitatem *in Fratres Tuos* obsequiosissimus *exerceas; clamant id veracia voce unâ Fratrum ora, synceri motu uno protestantur animi, fidelia pectora consensu unanimi fidem faciunt. Taceo hîc ingentes* beneficiorum *cumulos, quibus* Almam nostram Boëmiæ Provinciam *copiosissimo paterni amoris igne illustrando, méq; obruisti; taceo superabundantia* Gratiarum *flumina, quibus eam, méq; immersisti; quid enim hæc inter tantos? id unum ingenuè fateor, adeò illam méq;* Tibi *obstrinxisti, ut solvere, non tamen solvi, velle, sit* gratiosissimis favorum nexibus *amplius innodari. Attamen ne detestando ingratitudinis*

jugo

* Hom: 34. in Evang: † Psal: 103.

jugo turpiter videar ſuccubuiſſe, ultrò ſpeculativorum Salomon, Doctor Subtilis, Domunculã, *in qua ad judicandum ſedeas*, Tibi *conſecrat, dedicat, devovet. Et ſanè ter felix Salomon meus, ſi hoc* Judicis *non abnuis officium, ter felix* tribunalitium *hoc* ſolium, *ſi id* Sapientiâ Tuâ *dignaris inhabitare: tunc enim memoranda Antiquitas, feliciter Reſpublicas credebat gubernari, dum* Sapientes *eas adminiſtrarent. Adminiſtra igitur ſedulò* Corollam *hanc, quam* Nomini Tuo *ædificavi, adminiſtra, quoadusq;* Iuſtitias *judicaturus* Dominus *adveniat. Accipe hoc* (Tibi *namq; jure debetur meritiſſimo*) *laborioſum ſtudiorum meorum compendium, hoc debitæ gratitudinis pignus, hoc candidi in* Te *affectûs ſymbolum*, Domúmq; *hanc* ſcientificam Sapiens *inhabita Inquilinus*, Sapientiori *dirige gubernio*, Sapientiſſimo *diſpone judicio, & vive* Juſtiſsimo Judicum Judici DEO *gratus, Ordini noſtro Seraphico in emolumentum*, Tibi *verò in perennantem jugiter gloriam. Sic vovet*

REVERENDISSIMÆ
PATERNITATIS VESTRÆ

Filiorum in Chriſto minimus

F. ANTONIUS
BRUODINUS.

caris, & es, adeóq; dignissimè Princeps super omnes animas Ord: Seraphici suscipiendas cõstitutus. *Porrò* Michaël (*si D. Gregorio fides habenda* *) quis ut DEUS? *dicitur*: *& Tu propè* DEI NomenTibi *vendicas, quando vicẽ ejus* Generalis noster inaugurat9 Superior in terris *geris. Sed &* Angelus es: *quia* Minister Generalis & servus omnium Fratrum; *non abs re igitur Te, qui* Angelus *diceris*, Divina, *quæ* ministros suos facit ignem urentem†) Providentia, Ministrum *fecit: sed &* ignem urentem *fecit; dum ignitâ* Charitatis *flammâ sic Tua succendit præcordia, ut non nisi* Charitatem *spires*, Charitatem *loquaris*, Charitatem *in Fratres Tuos* obsequiosissimus *exerceas; clamant id veracia voce unâ Fratrum ora, synceri motu uno protestantur animi, fidelia pectora consensu unanimi fidem faciunt. Taceo hîc ingentes* beneficiorum *cumulos, quibus* Almam nostram Boëmiæ Provinciam *copiosissimo paterni amoris igne illustrando, méq; obruisti; taceo superabundantia* Gratiarum *flumina, quibus eam, méq; immersisti; quid enim hæc inter tantos? id unum ingenuè fateor, adeò illam méq;* Tibi *obstrinxisti, ut solvere, non tamen solvi, velle, sit* gratiosissimis favorum nexibus *amplius innodari. Attamen ne detestando ingratitudinis*

jugo

* Hom: 34. in Evang: † Psal: 103.

jugo turpiter videar succubuisse, ultrò speculativorum Salomon, Doctor Subtilis, Domunculã, *in qua ad judicandum sedeas*, Tibi *consecrat, dedicat, devovèt. Et sanè ter felix Salomon meus, si hoc* Judicis *non abnuis officium, ter felix* tribunalitium *hoc* solium, *si id* Sapientiâ Tuâ *dignaris inhabitare: tunc enim memoranda Antiquitas, feliciter Respublicas credebat gubernari, dum* Sapientes *eas administrarent. Administra igitur sedulò* Corollam *hanc, quam* Nomini Tuo *ædificavi, administra, quoadusq;* Iustitias *judicaturus* Dominus *adveniat. Accipe hoc* (Tibi *namq; jure debetur meritissimo*) *laboriosum studiorum meorum compendium, hoc debitæ gratitudinis pignus, hoc candidi in* Te *affectûs symbolum,* Domúmq; *hanc* scientificam Sapiens *inhabita Inquilinus,* Sapientiori *dirige gubernio*, Sapientissimo *dispone judicio, & vive* Justissimo Judicum Judici DEO *gratus, Ordini nostro Seraphico in emolumentum,* Tibi *verò in perennantem jugiter gloriam. Sic vovet*

REVERENDISSIMÆ
PATERNITATIS VESTRÆ

Filiorum in Christo minimus

F. ANTONIUS
BRUODINUS.

SVMMA PRIVILEGII
Sac: Cæſ: Majeſtatis.

LEOPOLDUS *Divinâ favente Clementiâ electus Rom: Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. ſingulari decreto ſanxit, nè quis intra S. R. Imperij, Regnorúmq; ac Provinciarum hæreditariarum fines,* Univerſæ Theologiæ ſpeculativæ Summam, *Authore P. Fr. Antonio Bruodino Hiberno, Ord: Min: Strict: Obſerv: Reformatorum, ſimili aut alio quovis typo, vel forma, ſive in toto, ſive in parte* (Opuſculum hoc, Corolla Oecodomiæ intitulatũ, altera eſt pars prædictæ Summæ Theologicæ) *recudere, vel alibi impreſſum vendere, vel diſtrahere clam vel palàm, citra voluntatem, & absq; ipſius Fratris Antonij Broudini, in ſcriptis obtentâ licentiâ, per decennium à prima editionis die computandum, præſumat, ſub confiſcatione librorum, aliisque pœnis contra delinquentes fusè expreſſis, in literis datis Viennæ die 5. Menſis Ianuarij, Anno Domini 1663. Regnorũ verò S.C.M. Romani 5. Hungarici 8. & Bohemici 7.*

Leopoldus.

Wildericus Baro de Walderdorff
Vice Cancellarius.

Ad Mandatum S. C. M. propr:
b J. Walderode.

FACVLTAS

Reverendiſs: Patris Miniſtri Generalis totius Ordinis S. Franciſci.

F*Rater Michaël Angelus de Sambuca, totius Ordinis Minorum Seraphici Patris Noſtri S. Franciſci Miniſter Generalis & Servus, Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio Bruodino Hiberno, Lectori Iubilato Almæ noſtræ Provinciæ Reformatæ Bohemiæ quondã Diffinitori, nec non Conventûs noſtri Olomucenſis Guardiano actuali, ſalutem in Domino ſempiternam.*

Ut altera pars, Scholaſticæ Theologiæ manualis Summæ, complectens materias de virtute & Statu Religionis, Decimis, Voto, Indulgentijs, Purgatorio, Cenſuris, Privilegijs, & Exemptionibus Religioſorum, *à te edita, & à Lectoribus ad id aſſignatis, reviſa & approbata, ſervatis alijs ſervandis, typis excudatur, facultatem concedimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Aracœlitano, die 6. Iunij, Anno Domini 1663.*

F. Michaël Angelus de Sambuca
Miniſter Generalis.

De Mandato Reverendiſsimæ Suæ Paternitatis

F. Joannes Eslenan, Secretarius
Generalis Ordinis.

FACULTAS
Admodum Reverendi Patris Ministri Provincialis.

Fr. *Constantinus Dubsky, Ord: Min: Strict: Obs: Reform: almæ Provinciæ Bohemiæ Minister Provincialis, & Servus, dilecto sibi in Christo R. P. F. Antonio Bruodino, ejusdem Ordinis, & Provinciæ, Lectori Iubilato, quondam Diffinitori, nec non Conventûs nostri Pragensis Professori primario, salutem.*

Opusculum, cui titulus est, Corolla Oecodomiæ Minoriticæ Scholæ Salomonis, sive pars altera Manualis Summæ Theologiæ Scholasticæ, *à Reverentiâ vestra editum, cum judicio tot S. Theologiæ Professorum, publicam mereatur lucem; harum tenore facultatem impertior, quatenus typis mandari possit. Actum Pragæ, in Conventu nostro B. V. ad Nives, 1. Decemb: A. 1663.*

F. Constantinus Dubsky,
Minister Provincialis.

CENSURÆ DOCTORUM.

Legi ad instantiam Venerabilis Consistorij Pragensis, alteram partem Compendij Theologiæ Scholasticæ, compositam à Reverendo P. Antonio Bruodino, Ordinis Min: Strict: Observantiæ S. Francisci, SS. Theologiæ Lectore Iubilato, in qua omnia cum orthodoxa Fide, sana Doctrina, & bonis moribus conformia reperi, & dignam censeo, quæ propter materiæ quam tractat utilitatem, eruditam Authoris brevitatem, & Scholæ Scotisticæ decus, publicam lucem aspiciat. In cujus rei fidem propriâ manu subscripsi. Pragæ in Collegio Academico Societatis IESV, die 25. Februarij, Anno à partu Virginis 1664.

Maximilianus Reichenberger
è Soc: Jesv, SS. Theol: Doctor, ejusdémq; Facultatis in Universitate Pragensi Professor Primarius, nec non Facultatis Philosophicæ Decanus.

OPus egregium, non solùm Regularibus, sed etiam Ecclesiasticis omnibus utilissimum, ingenioso labore R. ac Eximij Patris, F. Antonij Bruodini, hujus nostri Seminarij, publici quondam Professoris, nec non in SS. Theologia Lectoris Iubilati, editum, diligenter inspexi, in quo prolixarum aliàs materiarum succum, & nucleum compendiosè inclusa, simul cum sana doctrina, bonis consona moribus, reperi. Quapropter ut publicis mandetur typis, dignissimum judico. Actum Pragæ in Archi-Episcopali Seminario Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, ultimo Februarij, Anno 1664.

Georgius Adalbertus Aster,
Protonotarius Apostolicus,
Canonicus Vetero-Boleslaviensis, & præfati Collegij
Rector.

Nos infra subscripti Ordinis Min: Strict: Observ: attente legimus, & considerate perpendimus opusculum, cui titulus est Corolla Oecodomiæ Minoriticæ Scholæ Salomonis, *à R. P. Antonio Bruodino Hiberno, ejusdem Ord: SS. Theologiæ Lectore Iubilato, editum, & deprehendimus Auctorem apem argumentosam egisse, dum fideliter citat Doctores, quibus in collectura sui operis usus est, Iudicium monstrat in applicando collecta, limam maturitatis occupat in seligendo flores, & deniq; zelum prodessendi Ecclesiasticis, maximè verò Regularibus omnibus; propalavit, in evulgando laborum fructus. Idcirco cùm nihil Catholicæ fidei, bonis moribus, aut sanè doctrinæ contrarium contineat, dignum Typographicâ Coronide ejus Corollam judicamus. Pragæ in Collegio Immaculatæ Conceptionis Patrum Hibernorum, 13. Martij, 1664.*

F. Daniel Bruoder, SS. Theol: Lector Jubilatus.

F. Bonaventura Conorus, SS. Theologiæ Lector Iubilat⁹, ejusdémq; Facult: in Semin: Archiepisc: Professor Ordinarius.

Summa animi jucunditate, de mandato A. R. P. Ministri Provincialis, legi egregium ac insigne opus, cui titulus, Corolla Oecodomiæ, *pars altera R. Patris Antonij Bruodini, Ord: Min: Strict: Observ: Reform: SS. Theologiæ Lectoris Iubilati, Provinciæ nostræ Bohemiæ quondam Diffinitoris, & in Conventu Neo-Pragensi B. Virginis ad Nives Professoris primarij, in quo cum terminorum proprietate, mirâ claritate, & eruditione, laborem sanè fructuosissimum, cunctísq; Religiosis utilissimum adverti, & deprehendi. Quare cùm nihil Catholicæ Fidei contrarium, bonísq; moribus nihil contineat dissonum, publicâ luce judico & censeo omninò dignissimum. Dedi in Conventu nostro Neo-Pragensi B. V. M. ad Nives, Anno* 1654. *die* 4. *Martij.*

F. Guilielmus Antonius Brauczek, Ordinis ejusdem, in Conventu B. V. ad Nives SS. Theologiæ, & in Seminario Archi-Episcopali Vetero-Pragæ Philosophiæ, Lector Generalis.

Imprimatur

Franciscus Rasch ab Aschenfeldt, Præpositus & Officialis Pragensis.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

AMice Lector, si non tuo deside-rio, meis saltem promissis, meorúmq; quondam discipulorum votis, ac Superiorum mandatis satisfacio, hunc publicando libellum: promisi namq; in præfatione primæ partis meæ manualis summæ Theologiæ, te brevi habiturum materias, Regularibus omnibus summè utiles, de Virtute & statu Religionis, de Indulgentiis, Purgatorio, Censuris & Privilegiis Religiosorum; ecce, quod promisi, rudi elaboratum Minerva opusculum, reddo; ex cujus lectione (nisi ex semine illorum sis, qui sua non edunt, & aliena carpunt) te satisfactionem habiturum spero. At fortè (si Zoilus es) dices me frustra laborâsse, cùm præ manibus sint in scholis jam nominatissimi Doctores, qui doctè fuséq; tradunt materias has omnes, quæ à me indolato stylo, intra opaca hujus libelli

late-

latera compendiosè obscurantur. Verùm (fateor) affirmas, si librorum sis lector, vel libri, tibiq; superest tempus & commoditas, ad ea in originalibus legenda, quæ non sine ingenti (absit jactantia verbo) quatuor mensiũ labore, enucleatè à me extracta ex varijs Doctoribus sunt, & in hoc parvo clausa compendiolo. Sed quia non omnia possumus omnes, & quod mole tot negotiorum oppressis, sermo brevis maximè placet; sic, non in tui Zoile, (qui quamvis animosiùs hauris paratum muri poculum, quàm ut colatur vinea, juvas, facilius tamen invidiâ stimulante, quod probis difficilius esset, canino censuras dente, quàm quæ de Censuris à Thoma, Scoto, & similibus scripta sunt, legis, ut intelligas) sed in gratiam illorum laboravi, quibus brevitas placet, prolixosq; legendi tractatus non superest tempus; vel si superesset, illos procurandi media non subministrant marsupia. Inter hæc hominum genera plurimi adnumerari possunt, tum sæculares Ecclesiastici, quàm Regulares sacrorum Ordinum, Benedictinorum, Cisterciensium, Præmonstratensium, Pauli-

norum, & Franciscanorum, qui per tot annorum decursus, sub me, alijsq; nostris Patribus Lectoribus, tam in hac sacra B. V. ad Nives Æde, quàm in celeberrimo Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach Seminario studuerunt, quorum votis ut annuerem, hunc incepi laborem. Opusculum verò Corollã Oecodomiæ *intitulare volui, tum quia finis nunc meorum in scholasticis materijs publicandis laborum est, qui cùm coronare non valet, corolla saltem ornare possit, inceptam à me Theologicam structuram: tum etiam, quia Doctori subtili, cui in prima parte hujus Manualis, Cameram (ad imitationem Sapientissimi Regum Salomonis, 3. Reg: 7.) talem qualem construxi, domunculam etiam paucis sustentatam columnis, per modum coronidis totius ædificij, ædificare hâc secundâ parte volui. Hæc nè ignorés, insinuare sat est, utere igitur benevole Lector, æquo quo decet animo, hoc vigiliarum mearum fructu, meiq; in precibus memor esse memento. Vale.*

ALIA

ALIA AD LECTOREM.

Amice Lector, jam sæpè insinuavi, me in gratiam Studiosorum nostræ Scholæ, & maximè illorum, qui sub me, meisq; amicis, RR. Patribus, Bernardino Clanchy, & Bonaventura Bruodino, Lectoribus Iubilatis, in hoc inclyto Bohemiæ Regno studuerunt, manualem totius Theologiæ speculativæ summam publicâsse, quam quia illorum quivis, & maximè hujus almæ Provinciæ Filij, penes se habere desiderant, sic ut eorum etiam nomina, in summula hac conserventur, omissis aliorum nostrorum discipulorum, tam sæcularium, quàm Regularium Ecclesiasticorum, nominibus (quis eos omnes nominare, vel numerare pòssit) nostrorum solummodò Fratrum, servato ordine Alphabetico, hic subjungere volui nomina.

F. Adamus Mindtlendt, Philosophiam Neodomi docuit, & modò Guardianum Pilsnæ agit.

F. Adalbertus Karas, Concionator, Vicarius Pilsnensis, & Novitiorum Magister.

F. Amandus Herman, Diaconus.

F. An-

F. Antonius Kemler, Lector Philosophiæ, Guardianus fuit Pragæ, & alibi frequenter, nunc vero Provinciæ est actualis Diffinitor.

F. Antonius Judenfeindt, Confessarius.

F. Antonius Lazari, Provinciæ Bosnæ Croatiæ Filius, Philosophiæ Lector.

F. Angelus Curtius, Concionator & Conf:

F. Augustus Hlawitzka, Sacerdos.

F. Bernardus Czizek, Confess: Guardianum egit aliquoties.

F. Bernardus Sannig, Sacerdos.

F. Benedictus Kônig, Confess.

F. Benno Krimmer, Sacerdos Confess:

F. BonaventuraTroilo, Concionator & Conf:

F. Bonavita Hutter, Conc: & Confess.

F. Bonaventura Donzel, Guardianus fuit Cadanæ, Confess:

F. Carolus Brinner, Conc: & Confess:

F. Carolus Meck, Confess.

F. Carolus Wopoczynsky, Sacerdos.

F. Casimirus Nedtke, Conc: & Confess:

F. Christophorus Marci, Conc: & Confess:

F. Cœlestinus Mayer, Philosophiæ Lector, Guardianus fuit Olomutij, & alibi sæpè, nunc hic Pragæ Vicarius, & Magister Chori est.

F. Cyprianus Krammer, Guard: Tachoviensis.

F. Didacus Vogt, Sacerdos.

F. Dio-

F. Dionysius Tieffensin, Confess:

F. Dominicus Risman, Philosophiam docuit Nissæ, & Concionatorem Znoymæ nunc agit.

F. Engelbertus Potumsky, SS. Theologiæ Lector Generalis actualis Conventûs Labacensis in Carniolia.

F. Ernestus Schaff, S. Theol: actualis Lector.

F. Erasmus Picenus, Confess:

F. Epiphanius Balsar, Conc: & Confess:

F. Franciscus Birolt, Guardianus Novodomensis. (Glacij.

F. Franciscus Knittelius, Conc: & Guardian⁹

F. Fridericus Brukatz, Guard: Turnovij.

F. Fulgentius Degen, Confess.

F. Georgius Dottzi, Custodiæ Transylvaniæ Filius, Concionator, & Philosophiæ Lector.

F. Guilielmus Brauczek, SS. Theol: in Conv: B. V. M. ad Nives, & in Seminario Archi-Episcopali jam tertio Philosophiæ actualis Generalis Lector, qui totam Philosophiã eadem methodo, quâ hoc compendium nostrum publicatum est, in lucem dedit, simul cum P. Ernesto Schaff, suo quondã Collega.

F. Henricus Clarus, SS. Theologiæ Actualis Lector, & jam secundo actualis Provinciæ Diffinitor.

F. Hip-

F. Hyppolitus Wodack, S. Theologiæ Lector, & Philosophiæ actualis.

F. Hilarion Spatzek, hujus Conventûs ad Nives quondam S. Theologiæ, & in Seminario Archi Episcopali Philosophiæ Lector, ac Provinciæ Diffinitor, qui in brevi consummatus explevit tempora multa.

F. Jacobus Kirchner, Clericus.

F. Joannes Strasgitel, Concionator.

F. Joannes Fritsch, Philosoph: Nissæ docuit.

F. Innocentius Baumaister, Conc: Nissensis.

F. Julius Voigt, S. Theologiæ Olomucensis Conventûs quondam Lector, ac tandem Nissensis Guardianus.

F. Ludovicus Strobel, Conc: Generalis.

F. Mansuetus Vnger, Sacerdos.

F. Melchior Hartman, hujus Pragensis Conventûs quondam S. Theol: Lector actualis.

F. Matthias Kalschmidt, Conc: qui secundò in Provincia Croatiæ Philosophiã docuit.

F. Methudius Kunisch, Confess:

F. Nicolaus Pleisner, Confess:

F. Norbertus Mendera, Concionator Neodomensis

F. Paulus Lahger, Conc: & actualis Philosophiæ Lector.

F. Patritius Paller, Diffinitor, & S. Theologiæ Lector actualis.

F. Petrus Czizeck, Sacerdos.

F. Pla-

F. Placidus Kawka, Concion: & Residentiæ Haicensis Præses.

F. Robertus Jachnich, Confess: & Slanæ Vicarius.

F. Sebastianus Cade, Conc: & Guardianus Olomucensis.

F. Sebastianus Fingh, Confess:

F. Severinus Schöller, Conc: & quondam Glogoviæ Guardianus.

F. Sigismundus Polonus, Sacerdos.

F. Theodulus Machalinus, Confess.

F. Theodoricus Burg, Conc: & Pragæ quondam Guardianus.

F. Theophilus Mayr, Conc: & Guardianus Javorij.

F. Valentinus Jüttner, Philosophiæ Lector actualis Neodomi.

F. Zacharias Tumeck, Concionator.



TY-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

SI à communibus, amice Lector, naturæ humanæ defectibus hominem videres, miraculum diceres, & si librum nullo errore typographico publicatum legeres, ùt raritatem haud dubiè prædicares; invenies igitur in decursu hujus libelli (quod in alijs omnibus notatur libris) aliquos errores, quos modo sequenti corrigere poteris, advertendo, quòd per P. *pagina, & per* L. *linea denotetur.*

Pag: 1. in titulo. Religine, *lege,* Religione. *P. 19. l. 19.* petunt (*adde*) per Christi merita petunt. *P. 37. L. 32.* consistite, *lege,* consistere. *P. 43. L. 34.* alij, *lege,* alijs. *P. 44. L. 8.* Gen: *lege,* Corinth: *P. 55. in margine,* totum, *lege,* totam. *P. 91. L. 31.* culpa, *lege,* pœna. *Ibidem, L. 32.* illud, *lege,* illam, & inflictum, *lege,* inflicta. *P. 168. L. 1.* clumor, *lege,* clamor. *P. 175. L. 24.* 20. *lege* 40. *P. 189.* NB. *L. 5.* per, *lege,* extra. *P. 236. L. 9.* sic ut, *lege,* sicut. *Ibidem, L. 19.* miustro, *lege, ministro.*

CORONÆ OECODOMIÆ Minoriticæ Scholæ Salomonis, Doctoris Subtilis.

COLUMNA PRIMA.

De Religine in genere.



Omen hoc *Religio* ductum est, vel à relegendo, ut vult Isidorus lib: 10. Etymol: c. 17. quia quæ ad Dei cultum pertinent, sæpè animo revolvenda sunt; vel à religēdo, ut vult Hugo l. 10 de Civit: cap: 4. quia per eam Deum, quem per peccatum rejecimus, reelegimus; vel deniq; à religando, ut vult Lactent: l. 4. Divin: instit: c. 28. quia religio nos Deo adstringit, & alligat, quæ derivatio mihi videtur rei, & nomini consentanea, & in hac acceptione de Religione hîc agemus, unde sit. *Derivatio nominis.*

ASSERTIO I. Religio bene describitur: virtus moralis, quâ creatura rationalis, Deo, primo rerum principio, debitum exhibet cultum, cum quadã sui submissione: Hæc à nullo, quod sciam, proponitur sub his terminis, videtur tamen cõvenire cũ illa, quam tradit D. Augustinus lib: 83. quæstion: q. 13. *Probatur:* tum quia ex requisitis ad bonã descriptionem, nulla huic deest, tum etiã ipsam explicando: dicitur *virtus moralis*, quia inclinat (loquor de Religione habituali) ad actũ *Religio describitur.*

 mora-

moraliter bonum eliciendũ. dicitur *quà creatura rationalis*; ad denotandũ, quod à sola tali sive Angelica sit, sive humana, cultus religionis provenire debet. dicitur; *Deo, primo rerum principio*, ut ostendatur, cur Deus, à quo dependet esse, vita, & bonum omne nostrũ, hoc cultu sit dignus, & cur à creatura ei debeatur, nam cùm Deus, quà talis, infinitâ excellẽtiâ, in omni genere perfectionis puræ, sit præditus, peculiari honore, supra omnes creaturas est dignus. unde subditur: *debitus cultus*. Additur denique: *cum quadã sui submissione*: tum quia nõ solùm singulari honore tenemur Divinæ Majestatis excellentiã extollere, sed etiã illam colere, & extollere respectu nostri, profitendo nostram subjectionẽ, & dependentiã ab illa; tum etiam ut ostendatur, differentia religionis ab honore in genere, nam DEUS honorat Sanctos, & æqualis æqualem, non tamen colit. Ex quo;

Honor describitur.

Infertur non malè, quod honor sit quid communius cultu. Porrò honor in genere, est, *Testimoniũ excellentiæ alterius, signo aliquo expressum*: & hoc potest fieri, sive verbis, ut cùm aliquis laudatur, sive gestu corporis, ut genuflexione, apertione capitis, sive deniq; rebus externis, ut descriptione Elogij, erectione statuæ, institutione ludorum, & similibus.

Obijcies: Se alteri submittere, per exhibitionem alicujus signi externi, est officium humilitatis: ergo non pertinet ad religionem. *Resp: dist: antec*: est officicũ humilitatis, si fiat, quia utile nobis est, ut nos contineam9 intrà limites nostræ conditionis, nè per elationem

extra

extra eos feramur, conc: antec: humilitatis, si fiat animo declarandi eminentiam Divinam, sicut in proposito fit: Nego antec: & conseq.

ASSERTIO II. Objectum materiale proximum religionis est, cultus Deo debitꝰ, remotū ipse Deus: formale vero est ipsa honestas, quæ apparet in hoc, ut quis Deum colat, ob excellentiam suæ divinæ naturæ. *Objectum Religionis.*

Probatur 1. pars: Illud est objectum imediatum cujuscunq; actus, in quod imediate tendit, sed actus elicitꝰ virtutis, religionis, puta volitio, quâ quis vult exhibere DEO cultum sibi debitum, & congruentem, est cultus DEO debitus, ergo cultus ille est objectū materiale proximum actûs religionis.

Probatur 2. pars: Deo ob suam excellētiam & honestatem, quæ in tali actu apparet, religio cultum defert, ergo ad minimum debet Deus assignari pro objecto materiali remoto, seu (ut aliqui loquuntur) *Cui* religionis.

Confirm: Ita ferè se habet religio ad Deum, sicut justitia particularis ad proximum; sed objectum proximum justitiæ talis, nō est proximus, sed res illi debita, ergo similiter objectum proximum, religionis non est Deus, aut ejus excellentia; sed potius cultus DEO debitus, ut sunt laudes, vota, sacrificia, aliæque ceremoniæ, quibus divinitas honoratur.

Probatur 3. pars: Ratio movens creaturā ad colendum Deum, est objectum formale religionis; sed honestas quæ apparet in hoc, ut Deus ob suam singularem, & infinitam excellentiam colatur, est talis ratio, ergo est objectum formale religionis.

Obijcies: Oratio & laus sunt actus religionis, & tamen attingunt Deum imediatè, tanquam objectum, ergo malè dicimus, Deum non esse immediatum religionis objectum. *Resp: dist: antec:* sunt actus interni, immediatè à virtute religionis vitaliter eliciti. *Nego antecedens*: actus externi, à religione imperati, tanquàm signa & testimonia divinæ excellentiæ, nostræq; subjectionis, *concedo antecedens, & nego consequentiam.*

Religio est virtus specialis.

ASSERTIO III. Religio est virtus specialis, á virtutibus Theologicis, & etiã moralibus multis, non Theologicis distincta. *Probatur conclusio* de virtutibus Theologicis: tum quia virtutes hæ, imediatè in Deum tendunt, per suum actum internum, religio non sic, ut jam ostendi, tum etiam quia objectum *quod* religionis, est quid creatum, cultus nimirum Deo debitus, objectum autem *quod & cui*, illarum virtutũ, est solus Deus. (loquẽdo saltem de Charitate & Fide) tum deniq; quia nullus act⁹ religionis, est amor, fides aut spes, ergo nullus est actus ipsius, qui non distingvitur ab his.

Probatur conclusio: de alijs virtutibus, tum quia ex illis aliquæ sunt, quæ non versantur circa idem objectum, eodem modo consideratum, circa quod versatur religio, ut patet, discurrenti per omnes, tum etiã quia aliquæ virtutes perficiunt hominẽ, in ordine ad se, ut patet de temperantia; religio verò perficit illum, in ordine ad alium: tum deniq; solvendo adversariorum rationes: ergo religio virtus est specialis.

Obij-

Objicies: Illud August: in inchiridio c. 3. ubi dicit: *Deum coli fide, spe, & charitate*; ergo religio est virt⁹ generalis cõprehendens virtutes Theologicas. R/ August: vel esse intelligendũ in sensu causali, quasi diceret, quod virtutes Theologicæ causent in nobis virtutẽ religionis, quâ Deus colitur; vel sumere ibi *ly coli* largè, pro omni nimirum opere bono, ad Deum ordinato, quodque instar sacrificij Deo est acceptum, quo sensu illud Job 1. *Religio munda & immaculata &c.* intelligi debet.

Dixi in concl: Multis, quia non videtur specificè distingvi, à virtute pietatis, observantiæ, & gratitudinis in Deum, nam virtus religionis colit Deum, ut parentem, & sic coincidit cũ pietate, colit ut principem, & sic coincidit cum observãtia, colit etiã ut benefactorem, & sic coincidit cum gratitudine; ergo specie non distingvitur ab illis virtutibus. PONTII *Nostri* disp: 60. q. 1. n. 6. ratio in contrariũ, penitùs nihil valet, nam ex diversitate nominũ colligi non potest, diversitas specifica rerũ, aliàs charitas & gratia inter se specie diversificarentur, & Marcus Tullius, à Cicerone, quia sunt diversa nomina.

Quæres: quomodo religio distingvatur à virtute, quâ coluntur Sancti? pro resolutione, adverte: Sanctos coli, vel propter excellentiam increatam Dei, ad quam ipsi aliquem respectum dicunt, vel propter excellentiam creatam intrinsecam, desuper illis participatam, ab eo, à quo bona cuncta procedũt, puta propter visionem beatificam, fruitionem, ali-

aliasque supernaturales perfectiones, illis à Deo participatas. Nunc sit:

Quomodo distinguitur Religio à virtute qua coluntur Sancti.

ASSERTIO IV. Si colantur Sancti, ob increatam Dei excellentiam, quam ipsi respiciunt, eâdē virtute coluntur, quâ colitur ipse Deus: si verò colantur propter creatas perfectiones, ipsis cōmunicatas à Deo, sic ut ipsi sic cōsiderati, sint integer terminus illius cultûs, sine eo, quod respiciatur Deus, ut terminus, & objectum principale, probabilius est, quod non religionis propriæ dictæ, sed potiùs distincta virtute, quæ *dulia* dicitur, coluntur.

Probatur 1. *pars*: tum quia secūdùm omnes communiter, eadem virtute charitatis, quâ diligitur Deus propter se, diligitur proxim⁹ propter Deum, ergo eadē virtute, quâ Deus colitur, in se ipso, propter suam excellentiā, coluntur etiam Sancti, dum cultus tendit in illos, ut Dei increatam excellentiā nobis exhibent, & repræsentant, tum etiā quia cultus talis transit imediatè in Deum, ut repræsentatum in Sanctis, tanquam in templis, tabernaculis, & imaginibus, in quibus inhabitat: ergo non est diversus à cultu religionis, quo colitur Deus.

Confirmatur: Ultimata ratio talis cultûs est excellentia divina, ad quam Sancti dicūt certum respectum, ergo procedit à virtute religionis, qua ipse Deus ob illam colitur excellentiam.

Probatur 2. *pars*: Excellentia illa Sanctorū, quæ nimirum cōpetit illis, ratione perfectionum absolutarum, & intrinsecarum, ex Dei libe-

liberalitate illis concessarũ, puta status beatificæ visionis, & fruitionis Dei, gratiæ, & charitatis supernaturalis; est genere, & specie distincta, ab increata Dei excellentia; ergo virtus inclinans aliquẽ ad colendos Sanctos, propter illam creatam excellentiã, est genere, & specie, diversa ab illa, quæ inclinat ad colendum Deum, propter suam summam excellentiam.

Objicies: contra 1. partem: Sancti coluntur à nobis, propter jam dictam excellentiã creatam intrinsecã illis, ergo cultus Sanctorum non procedit à virtute religionis. *Resp*: 1. *dist: conseq*: cultus omnis *conc: conseq*: cultus aliquis *nego conseqũtẽ*: & ratio patet ex dictis. *Resp*: 2. *neg: consequ*: quia quamvis ordinariè, simplices, præsertim, ob moralem illam dignitatem, in recto venerantur Sanctos; & ut ab omnibus sic colantur, digni sunt: tamen in obliquo, ob respectũ, quem necessariò dicunt ad Deum, coluntur semper ob excellentiam divinam, & consequenter coluntur virtute religionis.

Quæres: Quomodo cultus Sanctorũ distingvitur à cultu sacrarum imaginũ, aliarúmq; similium rerum inanimatarum? pro resolutione. *Adverte*, aliquem posse duobus modis honorari. Primò immediatè in sua persona, ut cùm actus externus, qui est signũ submissionis internæ, & æstimationis animi, de excellentia alterius, immediatè fit circa personam, salutando v. g. ipsam in via, excipiendo eam convivio &c. Secundò mediatè in imagine, & per imaginem, seu aliam rem illi-

illius, ut cum actus internus, immediatè, & proximè tendit, in ipsam imaginē, seu rem, puta canē, vel equum alterius; & hic honor, quamvis materialiter tendat in solam imaginem, seu canem, formaliter tamen, ut habet rationē honoris, immediatè ipsam personam, seu prototypum attingit, nam interna submissio animi, & æstimatio excellentiæ alterius, versantur immediatè circa personā, & non circa illius rem seu imaginem: beneficium enim, quod fit cani, vel equo, intuitu Domini, cujus sunt, transit, formaliter loquendo, in ipsum Dominū; etsi actus externus materialis ad illas res dirigatur: Hinc facilè intelligi potest, illud Concil. Nicœni: *Honor imaginis transit ad prototypum:* nam quamvis statuæ cooperias caput, flectas genua, apponas flores &c. & sic per actus externos materiales, versantes immediatè circa statuam, colas illam; formaliter tamen actus illi non habent rationem honoris, nisi respectu prototypi, cui se animus honorātis intendit subijcere, cujúsq; excellentiam intendit talibus signis testari, & in hoc sensu vulgare illud distichon, intelligi debet.

Effigiem Christi cùm transis, pronus adora,
Non tamen effigiem, sed quem designat, honora.

Cultus imaginū non distingvitur specie ab illō, quo prototypa coluntur.

Nunc ad quæsitum Resp: Cultum sacrarum Imaginum non distingvi specie ab illo, quo coluntur Sancti, seu prototypa, & ratio est, quia eodem cultu, quo coluntur imagines, colitur prototypum, ut jam dixi: nam id quod est cultus materialis, respectu imaginis, est formalis honor, respectu prototypi: ergo eodē

specie

ſpecie cultu, quo colitur Sanctus, colitur etiam ipſius imago.

Dices: Imagines ſecundùm controverſitas communiter, coluntur cultu minore, quàm prototypum, ergo malè dicimus, quod eodē ſpecie cultu coluntur. *Reſp: diſt: antec:* cultu minore, in ſpecie formali, *nego antec:* in ſpecie materiali, *conc: antec:* & *nego cōſeq:* Doctores enim ſolùm loquuntur de ſigno externo ſeu materiali cultu, qui haud dubiè minor eſt, reſpectu imaginis, quàm reſpectu prototypi; minora enim officia impenduntur cani, vel equo Regis, quàm ejus perſonæ, & cruci quā Chriſto in Euchariſtia, quamvis cultus quo mediante cruce colitur, eſt ejuſdē ſpeciei cum illo, quo immediatè in Euchariſtia colitur; uterq; enim cultus *latriæ* eſt, etſi reſpectu crucis, non dicatur propriè *latria*, quia hoc nomen, ſicut & *dulia*, ſignificat ſervitutē, & internam ſubmiſſionem, quæ non habetur reſpectu crucis, ſed crucifixi: cruces enim, & imagines, nō ſunt capaces honoris formalis, ſicut nec contumeliæ, aut injuriæ, cùm non poſſint hæc apprehēdere, ut cum alijs docet, Gabriel Vaſques, tract: de adoratione.

Quæres 2dò. Quare cultus quo Chriſtus mediante cruce adoratur, dicitur *latria*, & quo Sancti coluntur, nō ſic dicitur, ſed *dulia? Reſp:* rationem eſſe, quia cultus qui fit Sanctis, ob intrinſecas perfectiones ſupernaturales, longè inferior eſt illo, qui fit crucifixo; nam nō ſubmittimus nos Sanctis tanquam Dijs, ſed tanquam Dei amicis, & domeſticis ejus, magna apud Deum gratia, & authoritate pollētibus.

Quare cult9 quo Chriſtus colitur dicit: latria, & nō ille quo Sancti coluntur.

tibus; cultu verò quo in cruce Christus adoratur, colitur ipse DEUS immediatè in se, quamvis actus externus in crucem tendat, & sic est major cultu Sanctorum.

Interni & externi Religionis actus.

ASSERTIO V. Interni Religionis actus sunt, devotio, & oratio; externi verò, adoratio, sacrificium, oblatio donorum & decimarum, votum, juramentum, adjuratio, & laus. Hæc est communis, & bona divisio actus religionis, nec habet aliam difficultatem, quàm quod non videatur ratio cur oratio esset actus potius intern⁹ quàm adoratio, & è contra, cur adoratio esset actus externus potius, quàm oratio, ad quam *Resp:* rationẽ esse quia *Oratio*, quæ est, teste Damasceno, *elevatio mentis in DEUM*, maximè requirit internam attentionẽ assiduam: adoratio verò humana non sic, nam cõsistit in signis externis, honoris & submissionis sui, & sic meritò hæc actus externus, illa verò internus actus dicitur.

Obijcies contra 2. partẽ. Oratio est actus spei, ergo non est actus religionis. *Resp: 1. neg: conseq:* quia sicut unica eleemosynæ datio, potest procedere à virtute misericordiæ, quando fit ad sublevandas proximi miserias, & etiam à virtute religionis, cùm simul etiã fit, ut quis voto satisfaciat, sic potest quis, & solet orare, ut honoret Deum, & ut gratiam quam sperat impetret. *Resp: 2. dist: antec:* explicitè transeat *antec:* implicitè & interpretativè est actus tantùm spei, *nego antecedens & conseq:* explicitè enim oratio, est actũs spei, quia ordinariè fit ad impetrãdum aliquid à Deo,

Deo, quod implicitè redundat in honorem Dei, & sic implicitè est actus religionis.

ASSERTIO VI. Devotio ut est actus specialis Religionis, benè describitur; virtus quà quis internè se totum DEI obsequio tradit & offert; ut verò est conditio tantùm actus interni, nihil est aliud, quàm promptitudo quædam, & fervor affectꝰ ad cultum Divinum; hæc re ipsa communis est. *Devotio describitur.*

Probatur 1. pars: Tum ex regulis bonæ descriptionis, tum etiam, quia sicut, qui se totum tradit & devovit Imperatoris obsequio, devotus illi dicitur; sic qui se totũ mancipat Deo, ex affectu honoris Dei, elicit specialem religionis actum, qui devotio dicitur.

Probatur 2da pars: Quia quicunq; promptè & ferventer affectat divinum cultum, puta orationem, Dei laudes, sacrificium &c: illique affectui se conformat, devotus dicitur, & meritò quia se addictum esse cultui divino ostendit, ergo devotio, ut est conditio actus interni, benè à nobis explicatur.

ASSERTIO VII. Oratio benè describitur, virtus moralis, quâ quis suum coram Deo desiderium explicat, ut aliquid ab ipso possit impetrare; est in terminis nullius, re tamen communis, & bona, probatur: tum quia habet conditiones bonæ descriptionis, tum etiam quia re ipsa convenit cum illa, D. Damesceni lib: 3: de fide cap: 24. *Oratio* (inquit) *est ascensio mentis in Deum, sive decentium à Deo petitio.* ergo est bona. *Oratio describitur.*

ASSERTIO VIII. Oratio adultis rationis compotibus (nisi vitæ brevitas, aut instructi- *Oratio necessaria est.*

structionis defectus obstet) utilis est, & ad salutem necessaria, hæc est contra hæreticos, qui vel auxilij gratiæ necessitatē negant, vel sola fide nos justificari docent.

Probatur: Tum ex Scriptura Eccles. 18. *Ne impediaris orare semper* Lucæ 18. *Oportet semper orare,* (hoc est quantum fieri potest) *& nunquam deficere.* 1. ad Thess. ult. *Sine intermissione orate.* Tum etiam ratione, quia ad vincendas tentationes, & ad perseverandum in bono, justificati indigent gratia Dei, ut est de fide; sed ad obtinendam illam gratiam, oratio summè necessaria est, juxta illud Matth. 7. *Petite & accipietis, quærite & invenietis &c.* ergo est ad salutem necessaria.

Quando autem hæc necessitas obligat, non conveniunt Doctores, ego existimo, quod in sequentibus casibus, 1. quando ad gratiam se peccator disponere tenetur. 2. in evidenti mortis periculo. 3. in vehementi tentatione, cui aliàs quis putat se non posse resistere.

Quæres: Quænam in Oratione sunt petenda. ℞. absolutè à Deo petenda esse ea omnia, quæ in oratione Dominica continentur, conditionatè verò, divitiæ, honores, longa vita, uxor speciosa, & hujusmodi peti possunt sub conditione, si nimirum sint nobis futura salutaria.

Orare soli creaturæ cōvenit.

ASSERTIO IX. Omni & soli creaturæ rationali (si damnatos excipias) usum rationis habenti, convenit orare, hæc est communis; & quod soli. *Probatur:* Sola creatura rationalis, potest agnoscere superiorē, à quo aliquid boni sibi, vel alteri sperare possit per orati-

orationem, quæ est petitio quædam ad superiorem directa, ergo soli illi cōvenit orare, & sic Deo absolutè considerato, aut personis divinis, quæ superiorem non habent, orare non convenit.

Probatur etiam quod omni &c. Primò, Angeli nobis rationabiliter possūt petere multa bona spiritualia, sicut & salutem; item & animabus purgatorij solutionem à pœnis: ergo hoc non est illis negandum. de Christo non est difficultas, quæ ex dictis in materia de Incarnatione facilè non solvitur.

De viatorib9 & peccatorib9 probatur conclusio, tum exemplo Davidis, aliorúmq; plurium peccatorū, quorum orationes exaudivit Deus; tum etiam, quia cùm oratio sit actus religionis, quamvis rationem meriti nō habet, quatenus à peccatore fit, habet tamen vim impetrativam, ergo.

Obijcies contra hanc partē: tum illud Joann. 9. *Scimus quoniam peccatores non audit Deus*: tum etiam illud Proverb. 18. *Qui declinat aures suas, nè audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*: sed peccatores sic suas declinant aures, ergo oratio illorum erit execrabilis, & cōsequenter inutilis. *Resp: ad* 1. Cæcum illum qui ibi loquitur, potuisse errare, nisi mavis dicere, quod fuerit locutus, de exauditione peccatoris, in ordine ad miracula facienda:

Ad 2. *Resp:* Locum illum intelligi debere, de oratione peccatoris, non habentis sincerū animum declinandi à malo, & faciendi bonum, quod non facit contra nostram conclusionem.

ASSER-

Invocatio Sanctorum nova invẽtio non est.

ASSERTIO X. Invocatio Sanctorum inter Catholicos usitata, nec nova est inventio, nec execrabilis consvetudo, est contra hæreticos nostri temporis.

Probatur 1. pars: Cultus & invocatio Sanctorum, in Ecclesia primitiva fuit usitata: ergo nova non est inventio. *Probat: autem* tum ex varijs primitivæ Ecclesiæ Liturgijs, (quibus ut traditio docet,) usi sunt ipsi Apostoli, eorúmq; immediati Successores, tum etiã ex Patribus primorũ sæculorum: Justino in Apologia. Irenæo lib: 5. cap: 9. Cypriano, Athanasio, Basilio Magno hom: in 40. Martyres. Hieronymo epist: 27. ad Eustach: Augustino lib: de baptismo, contra Donatistas, cap: 2. & alibi sæpe, & ex alijs multis Patribus, à controversistis fusè citatis, quorum authoritate contra Calvinistas convincitur, Sanctorum invocationem recens non esse inventum, nec idolatriã, nisi vellent dicere primitivam Christi Ecclesiam veram nõ fuisse, quod fortè, perfrictæ frontis homuncij illi, affirmare non verecundarentur. Argumenta hæreticorum inferius solventur.

Invocatio Sanctorum laudabilis.

ASSERTIO XI. Pium est & salutare, Sanctos invocare, illósq; colere, tanquã Dei amicos charissimos, ut eorum intercessione, beneficia tam spiritualia, quàm corporalia impetrare possimus; hæc est de fide, & ut probetur.

Adverte, Catholicos nõ colere Sanctos ut Deos, aut ut primarios auctores vitæ & salutis, quasi ipsi suâ auctoritate, & potestate possint remittere peccata, infundere virtutes, &

dare

dare vitam æternam, ut Calvinistæ, & Lutherani, calumniando illis imponunt; sed potiùs venerantur eos, ut Dei amicos, qui cùm in terra, multa pro ejus nomine passi sunt, in cœlis regnantes ab eo multa impetrare valeant, per Christum Dominum nostrum, *qui mediator est Dei & hominū*, teste Apost: 1. Tim: 2. *& in quo complacuit omnem plenitudinē inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, per sanguinem crucis ejus*, ut loquitur idem Apostolus ad Colossi 1. Unde Sanctos non agnoscunt, ut mediatores immediatos, sed potiùs ut mediatos & subalternos, quatenus videlicet ipsi, meritis Christi interpositis, per ea nobis à Patre, quæ postulamus, tanquam advocati impetrant, ut Jam.

Probatur Conclusio 1. Sine præjudicio Christi Salvatoris, licet invocare vivos homines, peccatis subjectos, de salute propria incertos, & sollicitos, ut pro nobis orent; ergo & Sanctos cum Christo in cœlo regnantes. Probat: antec: varijs Script: locis. Job 24. jussu Dei orat pro amicis. 1. Reg: 7. Populus rogat Samuelem, ut incessanter pro eis oret. Rom: 15. & alibi sæpe, Apost: orationem fidelium pro suis negotijs flagitat, ergo licet invocare homines vivos.

Probatur & consequentia: tum à paritate: tum etiam, quia si non liceret invocare Dei amicos in cœlesti patria regnantes, plus posset Ecclesia militans apud Deum, quàm illa in cœlis triumphans, sed hoc nemo dicet, nisi delirās Calvinista, qui caduca præponit hæc, cœlesti illi Hierusalem, in qua, *quæ nec in cor homi-*

hominis descendit præparavit Deus diligentibus se: ergo licet invocareSanctos ibi regnantes.

Confirmatur hoc: licet invocare sanctos Angelos, ergo & sanctos Homines, qui teste Script: Lucæ 20. *Æquales sunt Angelis, & filij Dei*; consequētia à paritate est evidens: *Probatur* igitur *antec:* Loth, Genes: 9. Rogavit Angelum, ut civitati Segor parceret, & pepercit: *Suscepi* (inquit Angelus) *preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es.* Item Zachar: 1. Angelus pro Hierosolyma intercessit, ergo licet invocare Angelos, & consequenter sanctos Homines.

Probatur Conclus: 2. Defuncti frequenter pro vivis orarunt, ergo licitè rogantur ut sic orent; *Prob: antec:* tum infinitis exēplis & miraculis, quibus cōstat Sanctos fructuosè fuisse invocatos, tum ex Script: Jeremiæ 15. *Si steterit Moyses* (inquit Deus) *& Samuel* (jam mortui erant) *coram me, non est anima mea ad populum istum*; ergo vel Defuncti illi orare poterant, vel Dei locutio inepta erat, quod nemo nisi Calvinista dicet; tum etiam quia Machabæus, 2. Mach: 15. Vidit Oniam & Jeremiam orātes pro exercitu, & Apoc: 6. Sancti ultionem à Deo de inimicis petunt; ergo & intercedere pro amicis possunt, nisi dicas ad ultionem capescendam, proniores esse, quàm ad misericordiam implorandam.

Confirmatur hoc: tum quia Epulo damnatus Lucæ 16. oravit pro suis fratribus; ergo beatus orat, & orare potest, pro suis amicis. Probatur consequētia à paritate: tum etiam solvendo hæreticorū rationes, seu potius deliria, pro quibus. *Obij-*

Obijcies 1. Dum invocamus Sanctos, (*non eousq; longæ illis sunt aures, ut ad voces nostras porrigantur, ait Calvinus*) non audiunt preces nostras; ergo frustra illos invocamus. *Probatur antec:* Isaiæ 63. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos:* & Eccl: 9. *Mortui nihil cognoscunt amplius*; ergo dum invocamus Sanctos, non audiũt nos. *Resp: negãdo antec:* nam si Angeli audiunt preces nostras, easque Deo offerant, cur non etiam Sancti. Item si Angeli in cœlo (Luc: 16.) gaudent de pœnitentia peccatoris, cur non etiam Sancti, Angelis pares? Deinde Sancti DEUM, & alia in illo videre possunt, cur non etiam miserias, & orationes nostras?

Ad Script: loca: & primò, ad primum, *Resp:* gratis admittẽdo illius sensum, prout ab hæreticis intelligitur, illũ nihil contra nos facere; nam licet Sancti illi veteris Testamenti, qui nec visione aut fruitione Divinæ essẽtiæ fruebantur, ignoraverint quid in terris ageretur; defacto de illis, aut alijs Sanctis, hoc affirmare non possumus; nam certum est, quod modò Deum ipsum, & omnia in eo vident, quæ illorum concernũt statum, sine eo, quod tam procul, ad nos usq; extensas habeant aures; deinde Scriptura ibi loquitur, de scientia æterna quæ soli Deo convenit; & sic verum est, quòd Abraham ignoraverit, & nesciverit Israël (hoc est ab æterno) facta Israëlitarũ. Secũdus locus intelligẽdus est, de cognitione naturali, dependente à phantasmatibus, quomodo vivi defactò se invicem cognoscunt.

Obijcies 2dò, Vnus est mediator Dei & hominũ, Christus IESVS: 1. Petri 2: ergo sine injuria illius alios adhibere mediatores non licet. ℞. 1. si argumentum aliquid valeret, probaret, quòd non liceret invocare vivos, sine injuria Christi mediatoris; sed licet, ut adversarij fatentur, & Paulus passim docet; ergo & Sanctos. Deinde aliter Christus mediator est, & aliter Sancti; ille enĩ mediator est primarius & immediatus, mediatione personæ, Redemptoris nostri, qui nullo alio indiget mediatore, nec petit aliquid supplicis more: sed potius tanquam authoritatẽ habens, suis meritis exhibitis, quæ vult petit, & accipit: Sancti verò sunt tantùm mediatores secundarij, qui principaliter per Christi merita, & secundariò per propria, quibus intimi Dei amici, & domestici affecti sunt, intercedũt pro nobis, deprecando, & divina munera nobis impetrando; & sic dicuntur mediatores, ad eum modum, quo Devter. 5. ℣. 5. Moyses se *sequestrum, & medium* (id est mediatorem) *inter Deum & populum vocat*, & hoc modo Sanctos invocando, nulla fit Christo mediatori injuria.

Obijcies 3. Confugere ad Sanctos tanquam mediatores etiã secundaros, est diffidere de Dei benignitate, & Christi infinitis meritis, quasi per ea solus, nõ possit nobis omnia impetrare; ergo nõ licet ad eos ullo modo confugere. *Resp: negãdo antec:* quia sicut non diffidimus, quando in hac vita pro invicem oramus, nec Angeli diffidunt, quando pro nobis orant; ita nec diffidimus in sufficientia merito-

meritorum Christi, quando Sanctos invocamus.

Itaque: quamvis scimus Christi merita esse sufficientissima, & Deum per se esse propensissimum ad benefaciendum; tamen cùm meritò nos judicamus esse indignos, qui soli coram tanta majestate compareamus, & non satis dispositos ad beneficia illius excipienda; rationabiliter cōfugimus ad Sanctos, gratos Dei domesticos, ut nos junctis suis precibus & intercessionibus comitentur, & juvent; ad eum ferè modū, quo in Cæsaris aula fit; nam qui gratiam impetrare cupit, ad aliquem ex Aulicis confugere solet, ut eo adjuvante obtineat, quod se solo impetrare posse dubitat: & hoc non solùm nō præjudicat Christo mediatori Dei, & hominum; sed ad dignitatē illius extollendam, & ostendendā plurimùm facit: quidquid enī Sancti pro nobis petunt, & sic tam à nobis, quàm à Sanctis, quos invocamus, Christus colitur, imploratur, & adoratur.

ASSERTIO XII. Animæ purgatorij, orant Deum pro se, & etiam pro nobis; damnati verò pro se saltem non orant. *Probatur 1. pars*: tum ex illo Job 19. *Miseremini mei, saltem vos amici mei*, ubi in persona animæ, quæ cruciatur in purgatorio, quæque subsidium precum, & aliorum bonorum operum petit ab omnibus, & maximè ab ijs quibus in hac vita benefecit, loquitur; tum quia credunt se aliquando evasuras illas pœnas, & determinatum ordinariè ignorāt tempus liberationis; ergo credendum est, quod semper *Animæ purgatorij orāt pro nobis.*

Deum, etiam per Divos invocant, & rogant pro liberatione: tum etiã, quia infinitis propemodùm exeplis constat, quod Animæ purgatorij comparuerunt hominibus, & ut pro earum liberatione preces funderet, eleemosynas darent, peregrinationes susciperet, & sacrificia offerrent, obnixè flagitârunt; ergo signum est, quod pro se orant: tum denique quia in hoc nulla est inconvenientia; ergo debet admitti. *Quod etiã pro nobis probatur*, quia sciunt frequenter ex revelatione divina, quinam pro earũ liberatione in hac vita laborant; ergò ut grati, pro illis reciprocè semper Deum orant.

Probatur ult: pars: tum quia damnati odio Deum prosequuntur; ergo non honorãt nec colunt illum, religionis actu: tum etiã quia sciunt certò, se non posse amplius liberari à pœnis; ergo frustrà non laborant, orando ut salventur.

Dixi pro se, quia credibile est, quod pro amicis possint orare (sine affectu tamen collendi Deum) ut patet exemplo Epulonis, qui de salute suorũ fratrum solicitus erat, teste Evangelista Luca, cap: 16: ergo damnati pro nobis possunt (quamvis fortè nõ solent) orare.

Pro omnibꝰ est orandũ. ASSERTIO XIII. Pro omnibꝰ in termino non constitutis, orandum est, etsi sint inimici nostri. *Probatur*, tum ex Apost: 1. ad Tim: 2. *Obsecro*, inquit, *primum omniũ fieri obsecrationes, orationes, & postulationes pro hominibus*; tum etiam, quia debemus orare, ut Dei voluntas fiat; sed Dei voluntas est, ut omnes homines (in sensu à me explicato antea co-

lum: 5.

lum: 5. de volũtate Dei) salvi fiant; ergo nos debemus optare, ut sic fiat. Per hoc tamen non colligitur, quod debeam9 orare, ut fiat, quod sperare rationabiliter non possumus, (stolida enim esset illa oratio) sed ut omnes absolutè salvi fiant, sperare non possum9, (reprobi enim teste Script: multi inter mortales sunt) ergo absolutè orare non debemus, ut nemo damnetur; unde sufficit, ut affectu simplici & inefficaci, id optem9, quomodo Deus eorum salutem vult.

Dixi: In termino non constitutis, quia in termino cõstituti, vel beati sunt, & hi nõ egent precibus nostris, imo pro eis orando illis fieret injuria, nam indicaret eos beatos nõ esse: unde est illud vulgare: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; vel sunt cõdemnati, & sic frustrà pro eis fieret oratio, ut suprà dixi. *Pro sequentium intelligentia, adverte:* nos preces illas, quæ ex præscripto Canonum Ecclesiasticorum, in Ecclesia certis horis canuntur, Horas vocare Canonicas.



ASSERTIO XIV. Usitatus orandi horas canonicas, in Ecclesia Catholica, modus, pius est & salutaris, est de Fide, contra hæreticos nostri temporis, qui post Waldenses, & Wiclefum, solo Ecclesiæ Romanæ odio, & cœco furore concitati, hanc orandi formam reijciunt. *Ordo orandi horas bonus est.*

Probatur: Tum quia ab exordio Ecclesiæ semper fuit, aliqua publica precandi, & laudandi Deum forma, quæ servabat eandẽ ferè temporum distinctionem, quam nos defactò in orando servamus, ut docet Clemens Ale-

xandr: lib: 8. constit: Apostol: cap: 34. tum etiam, quia hæc precandi forma cōtinet tantùm Psalmos, à Spiritu sancto dictatos; selectissima quæq; novi & veteris Testamēti mysteria, inter se per modum laudis combinata; salubria Patrum documēta, Sanctorūq; præcipua gesta, Collectas, & Hymnos, à Sanctis Patribus, vel Pontificibus cōpositos; sed his omnibus nihil potest esse diviniùs, & piùs: ergo. tum deniq; quia Ecclesia orādo horas canonicas, adimplet monitum illud Christi, Lucæ 18. *Oportet semper orare & nunquā deficere.* 1. ad Thessal: 5. *Sine intermissione orate.* Imitatur etiā Prophetā, qui de se dicit Psal: 118. *Septies in die laudem dixi tibi* &c: *media nocte surgebam ad confitendum tibi:* ergo modus ille orandi bonus est, & laudabilis.

Initiati ordinibus, an orare teneantur?

ASSERTIO XV. Initiati 4. minoribus, vi ordinum præcisè, non tenentur recitare divinum officium, secus dicendum est de Subdiacono, Diacono & Presbytero, qui nisi legitimè impediantur, sub mortali ad illud tenētur singulis diebus. *Probatur 1. pars:* quia non potest ostendi, unde oriatur talis obligatio, & insuper praxis sic ordinatorum est, sine scrupulo omittere divinum officium: ergo ad illud non tenentur.

Dixi vi ordinum illorum præcisè, quia si sint Religiosi Professi, ut sunt Clerici nostri, vel beneficiarij, tenētur sub mortali ad recitandum divinum officium; illi enim nostri vi professionis; hi verò vi beneficiorum, quod semper datur propter officiū spirituale, quod præcipuè consistit in horis canonicis.

Proba-

Probatur 2. pars Ratione (nullus extat canon scriptus, quo obligatio respectu Diaconi evidenter probatur) generalis, & antiqua Ecclesiæ consvetudo docet, eos sic obligari, taliterque ordinati supponunt se teneri sub mortali ad recitãdum divinum officiũ: ergo sic tenentur. *Probatur consequẽtia,* quia consvetudine, quæ altera lex est, & dictamine conscientiæ obligantur; ergo sub mortali.

Dixi, nisi legitimè impediantur, quia tale impedimentum, secundum Doctores omnes, excusat omittentem divinum officium à peccato, unde si absque magno dolore capitis, vel oculorum, aut alia simili molestia, horas recitare nequeas: si orando periculum gravis mali incurreres, ut fieret si inter hæreticos orares; si publica in schola lectio aut cõcio, vel similis functio publica prætermitti deberet, vel modo fieri nequiret, nisi horæ omittantur; tunc horas omnes omittere peccatũ non est; & idem sentio de damnatis ad triremes, quia taliter afflictis nec tempus orandi semper superest, etsi superesset, nõ deceret, ut in tali hominũ colluvie, ostenderent suum statum.

Impedimenta excusantia à celebratione divini officij.

Fugitivi, ex Ordine ejecti (in magis probabili sententia) excommunicati, suspensi, & etiãdegradati, & ad perpetuos carceres damnati, obligantur ad divinum officium sub mortali; & ratio est, (nisi aliud obstet impedimentum legitimum) tum quia conveniens est, ut ex delicto commodum non referant, & ut non solvantur vinculo obligationis præcedentis; tum etiã quia recitatio divini of-

ficij pœnis jam dictis non repugnat: ergo.

Voluntaria unius horæ omissio peccatum non est.

Quæres: an mortaliter peccet, qui ob levē causam omitteret unam horam, puta Sextam vel Nonam. *Resp:* negativè (Angelus, verbò Hora, §. 10. citans pro se Richardũ, & alios, docet, citra contemptum & malam consvetudinem, totum Divinum officium omittere peccatum non esse mortale) quia una hora, non est sufficiens materia mortalis peccati.

Religiosi etiam Franciscani sub mortali non tenentur in choro orare.

Quæres 2. an religiosi mendicātes sub mortali tenentur in choro, divinum officium orare? *Resp:* secluso scandalo & contēptu, me non posse invenire fundamentum talis obligationis, loquendo de religiosis in particulari; undè ad quæsitum ℞. negativè & ratio est, quia nec jure canonico scripto, (nullus enim de ea re extat canon) nec jure naturæ, quia ad essentiam status religiosi non spectat, chorum frequentare, aliàs Clerici regulares Societ: JESV (sic eos vocat Innocentius X. in Bulla, quæ incipit: *Cùm sicut accepimus*, anno 1648 data, quæ est ultima in Bullario) obligarētur; nec vi voti, aut regulæ, ne quidem nos Franciscani (quid quid dicat *Pontius* hic disp: 60. quæst: 4. n. 26. in contrarium) sic obligamur, quia in tota nostra regula nulla est chori mentio, & statuta tàm generalia, quàm provincialia, quibus nos, & alij religiosi ad chorum obligamur, ad mortale obligant nullum; ergo nullus in particulari religiosus tenetur sub mortali ad chorum.

Gloss: in Regula S. Frāncisci pronūt:

Dices Cap: 3. Regulæ S. Francisci dicitur: quod *clerici faciant officium secundùm ordinē Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*; sed ordo, ille est, ut in choro

choro simul orent; ergo nos saltem Franciscani, tenemur sub mortali in choro orare. *Resp: negando min:* quam non probare possunt adversarij; nam secundùm ordinem Sanctæ Rom: Ecclesiæ, Patres Societ: Parochi, & similes orant, & tamen chorum raró aut nunquam olfaciunt; ordo igitur de quo S. Pater noster Francisc⁹ loquitur, est ille: (nisi glossam in Regula quis vellet ponere, sicut illi ponunt qui dicunt, quòd idem sit equitare, quod in regula citra necessitatem, prohibetur, ac currisare) præscript⁹ in rubricis Breviarij Romani, cui in orando diviniū officiū conformare se tenētur Franciscani, vi regulæ.

qui dicunt nos ex Regula obligari ad chorū, sicut qui dicunt quòd idem sit equitare ac currisare ponūt.

Dixi in particulari, quia consvetudine, vim legis habente, & statutis tenentur, religiosi taliter ad chorum, ut pars aliqua illorum, si non omnes, debeant frequentare chorum, die noctúque, etiā sub peccato, nisi legitimè impediantur.

Quod modum attinet, quo Divinum officium celebrari debet, Innocent. 3. in Concil: generali Lateran: docet, *quod studiosè,* (hoc est absq; verborum omissione, & interruptione notabili, sine justa causa facta) *& devotè* (hoc est cum attentione, & reverētia) orari debet.

Circa attentionem, quà quis externè verba ita pronuntiat, ut nullū omittat, non est difficultas, quin sit ab Ecclesia præcepta in cap: *dolentes*: de interna verò attētione, quâ quis dum Deum orat, animum habet semper, ad Deum, resquè divinas conversum, variant Doctores.

Plurimi putant, neminem ex præcepto Ecclesiæ

An attentio interna re-

quirati in celebratione Divini Officij? clesiæ obligari, in recitando divino officio, ad attentionem internam, ita Durandus in 4. disp: 15. q. 12. Divus Antoninus 3. part: tit: 13. cap. 4. §. 8. Palludanus Angelus, Rosella, Silvester, & alij multi, quos citat & sequitur Diana; & fundamentũ hujus probabilis sentẽtiæ est, illud quod tetigi antea in mea Oecodomia Col: 11. Asser: 16. p. 131. quia nimirum Ecclesia, quæ de internis non judicat actibus, tales præcipere, aut vetari nõ potest, & consequenter non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solùm externã, quæ consistit in hoc, ut quis abstineat ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit.

Sed quia loco jam citato ostendi, fundamẽtum illud falsum esse, ex eâq; sententia, quantumvis ob tot Doctorum authoritatẽ, probabili, multa sequi posse sine peccato mala, sic judico contrariam veriorem esse, & probabiliorem, adeóq; illum non satisfacere præcepto Ecclesiæ de recitandis Horis Canonicis, qui spontè internis alienis cogitationibus se occupat; & ratio patet ex dictis, loco jam antea citato.

Officium pro officio licitè dici potest. *Quæres*: An sine lethali peccato possit dici officium pro officio indifferenter, v. g. an loco officij ferialis, licitè quis possit orare de Sancto, aut è contra, loco officij de festo officium de feria. *Resp*: cum communi affirmativè, & ratio est, quia qui officium pro officio orat servat substantiam præcepti, quæ in hoc consistit, ut nimirum quotidie septem horæ canonicæ recitẽtur, & solùm mutat modum; ergo

ergo non peccat lethaliter, nec ad repetitionem officij tenetur *sub mortali*, qui officium pro officio orat.

Hinc infertur 1. Illum mortaliter non peccare, qui mutat ordinē divini officij, hoc est orando Primam ante Matutinum, aut Completorium ante Vesperas, propter eandem rationem.

Infertur 2dò à paritate: illum mortiferè non peccare, qui celebrat Sacrum ante Matutinū, (ut cum Soto maturiores docēt Casistæ) quia nullum exstat præceptū sub peccato obligans, quo contrarium præcipitur; nec cōsvetudo contraria recepta eest, à prudentioribus sub mortali: & sanè capere non possum, quid sibi imaginentur aliqui Casistæ, qui tot peccatis mortalibus, simplicium & scrupulosorū aggravant conscientias, in hac & alijs multis materijs, in quibus nec re ipsâ venialiter quis, citra contemptum, peccat. Invertere ordinem divini officij secundùm omnes communiter non est peccatum: quare ergo esset peccatum celebrare ante Matutinū, cum nulla sit connexio Sacri cum Matutino? dicam (salvo mediori judicio) Casistæ multi sunt, qui non rationibus, nec authoritate moventur ad aliqua asserenda; sed potius quia putant, omnia vera esse, quæ in alio aliquo authore legerunt, & sic inconsideratè (ovicularum more, quarum consvetudo est, ut si una ex parte auffugiat, aut per aquam saltet, aliæ omnes, nisi impediantur, pari passu pergant) unus post alterū se subscribit, unde tutius est subinde, unum bene fundatum sequi Doctorem, *Celebrare ante Matutinum licet.*

rem, quàm centum similes Scribas potiùs, quàm Casistas.

EPISTILIUM PROBLEMATICUM Columnæ Primæ.

An celebratione unius officij, duarum dierum obligationi, satisfieri possit?

COLVMNA SECVNDA.
De Decimis, & Voto.

Solutio Decimarū non fit per modum eleemosynæ.

ASSERTIO I. Decimæ non per modum Eleemosynæ, sed potiùs per modum subsidij, Sacerdotib⁹ intuitu spiritualium laborum, debiti, solvuntur à populo Christiano, est de fide, definita in Constātiensi sess: 8. contra Wicleffum.

Probatur: Tum quia lex naturæ dictat illi deberi sustentationem corporalē, qui populo spiritualia administrat; unde & Paulus 1. ad Corinth: 9. *Si nos* (inquit) *vobis spiritualia seminamus, magnū est, si nos carnalia vestra metam⁹*, & 1. ad Timoth: 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*, & infrà; *non infrænabis os bovi trituranti*, sed Sacerdotes administrant populo spiritualia; ergo sustentatio corporalis per decimas, debetur illis de jure.

Confirmatur hoc: tum ex tot canonibus videndis in Decret: 16. q. 1. & in Decretalibus tit: de Decimis, dum etiam ex Trid: sess: 25. cap: 12. ubi jubet excommunicari eos, *qui decimas subtrahant, aut impediunt.*

Solvuntur decimæ jure

ASSERTIO II. Quota Decimarum in Legē nova, non Divina, sed solo Ecclesiastico anti-

antiquo jure, debetur Sacerdotibus, hæc est *antiquo Ecclesiastico.* communis inter speculativos Doctores, contra Canonistas, qui post Innnoc: glossam, & Host: dicunt etiam jure divino illam deberi.

Probatur: tum, quia nullum exstat in nova lege præceptũ de solvenda decima parte fructuum potius, quàm vigesima: tum etiã quia quæ præcipiuntur, Exod: 22. Levitic: 27. & Num: 18. de solutione decimarũ, Levitis & Sacerdotibus de semine Aron; jam in lege Evangelica cessârunt, sicut cessârũt alia præcepta judicialia veteris Legis: ergo vi illorum præceptorum non potest dici, quòd quota decimarum, quæ nunc solvi debet, sit præcepti divini; tum denique, quia hæc quota non solùm consvetudine tolli potest, ut habetur in cap: *in aliquibus.* 32: §. fin: de decimis, sed defactò multorum fructuum decima in varijs Europæ partibus sublata est: sed hoc non posset licitè fieri, si de solutione jam dictæ quotæ, exstaret præceptum divinum: ergo non exstat.

Dixi in Conclus: *antiquo jure*, quia à tẽpore Apostolorum exstat illud præceptum, ut patet in constitutione Clemẽtis l. 2. c. 29. & 39.

Objicies in cap: *Tua*. 25. de decimis dicitur, quòd Divinâ constitutione decimæ debẽtur; ergo & in novo Testamento exstat præceptũ de solutione Decimarum. *Resp: negando conseq:* quia canon iste & alij similes tantùm volunt, quod solutio decimarum ortum habet, ex antiquo jure divino, quo Deus supra, locis citatis, præcepit solutionem decimaram, & sic quod mediatè & remotè decimæ debeantur

jure

jure divino, quod non est contra nos, qui de præceptis immediatis novæ Legis loquimur, aliàs objectiones vide solutas apud nostros Scotistas.

Rationes ob quas solutio decimarũ sit præcepta.

Rationes autem, cur Ecclesia mandavit solutionem decimarum, sunt variæ, & fundatæ. 1. *ratio.* Ecclesia imitata est Deum, solutionem decimarum in veteri Lege præcipientem, & Sanctos Patriarchas Abraham, & Jacob, ante legem, divino instinctu, decimas solventes. 2. *Sacerdotes nostri* debent esse pauperum, orphanorum, & viduarum parentes, & sic debent habere, non solùm, quod sibi ipsis necessarium est, sed etiã media, quibus jam nominatis subvenire possint. 3. *ad conservandam* dignitatem Ecclesiasticam proventus competentes sunt necessarij Ecclesiasticis; nam experientia constat, Sacerdotes sæculares, in locis, ubi egestate premũtur, sperni, nihilq; illis abjectius haberi. 4. *Experientia* sæpe cõstitit, Deum ipsum taxationem hanc, ab Ecclesia factam comprobasse, abundatiam frumenti, vini, & olei, solventib⁹ decimas, dando, & non solventibus penuriã rerũ inferendo: ut docet S. Augustinus lib: 50. homiliarum, homil: 49. *Majores* (inquit) *nostri, ideò omnibus benedictionum copijs abundabant, quia Deo decimas dabant*, &c.

Ex quibus reb⁹ decimæ dari debent?

Quæres: Ex quibus rebus decimæ sunt solvendæ. *Resp:* hoc non posse modò determinatè assignari, nam si Jus scriptum spectetur, decimæ dari debent ex omnibus rebus, quæ annuatim divino proveniunt beneficio, ut de fructibus agrorum, arborum, animaliũ, domorum

morum locatarum, molendinorum, piscinarum, aucupiorum, omniúmq; denique negotiorum lucratorum, ut colligitur ex cap: *non est 22. de Decimis.* si verò consideretur consvetudo, certum est, multis in locis, tacita condonatione, & approbatione Ecclesiæ, nonnisi ex aliquibus, ex jam assignatis decimas dari, unde locorũ recepta cõsvetudo, in hac parte observari potest, sicut & praxis cujusq; Diœcesis, in assignandis ijs personis, quibus Decimæ solvi debent.

ASSERTIO III. Votum non malè describitur: promissio rationabilis, Deo facta, de re bona, & possibili. *Probatur:* tum quia habet requisita ad bonam descriptionẽ, tum etiã ex scriptura, quæ obligationẽ votorum refundit in promissionem veram (id est conformem menti) Eccles: 5. ℣. 3. *Si quid vovisti* (inquit) *Deo, nè moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* *Votum describitur*

Probatur adò. Ipsum explicando. Dicitur *promissio,* quia mediante habens animum offerendi Deo aliquid, significat alteri, quòd sit illud facturus: dicitur *rationabilis,* quia stulta & inconsiderata promissio, votum dici non debet, ut statim dicemus. Dicitur *Deo,* ut ostendatur differentia voti, â simplici promissione homini facta, reliquæ particulæ inferius patebunt.

ASSERTIO IV. Ut valida sit Promissio, & consequenter Votum, 5. requiruntur: 1. ut sit deliberata; 2. ut spõtanea. 3. ut fiat cum intentione se obligandi. 4. ut sit de re grata promissario; 5. ut promittens possit se ob- *Conditiones validæ promissionis.*

se obligari; hæc est etiam communis & probatur per partes: *Primò quod promissio* ut obliget, debet esse deliberata, hoc est, ut debeat fieri, cum quadam perfecta animadversione illius, quod promittens agit, (puta tali animadversione, quæ in materia prava ad lethaliter peccandum, & in bona ad bene moraliter agendum sufficit.) *Probatur*, Promissio est opus, quod quis sibi spontè imponit; sed nemo censetur sibi spontè onus imponere, nisi qui plenè advertit quid agit, dum se oneri submittit; ergo nemo censetur vovere aut promittere, qui idem non facit.

Hinc infertur: eum qui ex consvetudine, vel subitò mentis motu, præcurrente mentem lingva, vovit, non obligari illo voto, sicut non peccat mortaliter saltem, qui simili impetu malũ alteri precatur. Idem dic de votis in ebrietate, &ante rationis usum factis, quia talia nõ fiunt cum requisita animadversione.

Probatur 2. pars: de libertate, & spontaneitate, tum quia requiritur ut votum nõ sit metu vel dolo injustè extortum: tum ex dictis in Oecodomia Colum: 18. de contractibus; tum etiam quia taliter voventi deest semper consensus, nam qui errat, consentire non videtur: quod ut melius intelligas.

Adverte: ut loco jam citato dixi, dolum vel posse esse circa substantiam rei, vel circa accidentia, seu extrinseca rei, quæ hominem ad vovendũ alliciunt; vel circa aliquid quod aliquo modo redundet in substantiam rei; si sit circa substantiam materiæ promissæ, irritum facit votum, ut Doctores communiter docent;

docent; & ratio est, quia votum non obligat ultra intentionem voventis, & consequenter non obligat in eventu, quem vovens excepisset, si, cùm voveret, ei occurrisset; sed in eventu erroris substantialis, vovens excepisset, si occurrisset ei eventus ille: ergo in tali eventu votum non obligat.

Hinc infertur: in sequentibus casibus votum non obligare; ut si vovisti ingredi religionem, in hoc nostro S. Bernardini Conventu, putans esse Patrum Conventualium S. Francisci, cùm sit strictioris observantiæ, regulæ S. Patris; si voveas, te velle dare Franciscanis annulum, in quo putas esse tantùm Boëmicum lapidem, cùm sit orientalis & pretiosus. Item si quis voveret, se ingressurum Monasterium, ubi putaret regulæ essentialia accuratè servari, & tandem constaret, ita non esse; si voveret peregrinationem Lauretanam, putans Loretam 20. milliaribus v. g. tantùm distare, cùm distet centum: in his casibus votum non obligat, quia errores hi redundant in substantiam voti, & sic vovens non intendit se obligare. *Casus in quibus votum non obligat.*

Si autem error seu dolus sit extrinsecus, & accidentalis, non tollit obligationem voti, ut patet à paritate dictorum, loco jam citato, de validitate contractuum.

De metu tam gravi: 1. qui virum constantem percellat; & levi, qui in virum constantem non cadit, vide quæ dixi Colum: 18. de Contractibus, parte primâ hujus manualis; unde hic sunt tantùm sequentia obiter notanda & observanda. 1. Metus gravis, ad *Quomodò metus irritat votum.*

Tertiò: Metus gravis, in sequentibus casibus incuti censetur: 1. in casu imminentis mortis. 2. mutilationis membrorum. 3. atrocis cruciatûs. 4. longi carceris. 5. servitutis. 6. diuturni exilij. 7. stupri in viro vel fæmina. 8. amissio bonorum vel notabilis partis. 9. Omissionis honorifici statûs. 10. infamiæ juris vel facti; fama enim opibus meritò præfertur, nam *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Prov. 22. (Parentibus metus incutitur gravis, quando filijs, filiabus, & nepotibus mala hæc evenire, nisi consentiant, judicent, & idem dic de sorore respectivè ad fratrem, ut docet Hiquæus jam citatus) 11. excommunicationis injustæ. 12. Metus reverentialis, quo nimirum filius timet offensionem gravem Parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, uxor mariti, monachus superioris, & clericus sæcularis Episcopi. Ex his colligere facilè quis poterit casus, in quibus metus levis contingere solet.

Quæres: an propositum æquipolleat voto saltem simplici. Resp. Neg: & patet tum ex script: quæ votorum obligationem refundit in promissionem. Dev: 23. ℣. 14. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, &c.* & infra, *si volueris polliceri absque peccato eris*: tum etiam quia nemo vovit aut se alteri obligat, nisi qui efficaciter intendit (intentio non sufficit nisi sequatur actus) se obligare; sed solo proposito se nemo intendit efficaciter obligare: ergo solo proposito nemo vovit; tum denique quia

Proposit̃ū differt à Voto.

novi-

novitij intendunt primâ die ingressûs religionis vovere, Sed tamen per hoc durante anno probationis non obligantur, ut docet Trident: Sess: 25. cap: 15. ergo.

ASSERTIO V. Votum aliud est conditionatum, aliud absolutum, aliud simplex, aliud solemne; hæc non habet difficultatem, nisi ut membra ista explicentur. Igitur *Divisio votorum.*

Votum conditionatum est illud, cujus obligatio suspenditur, usque ad conditionis eventum, sic vovens Religionem ingredi, si Parens morietur, mortuo Patre, & non antea ingredi tenetur.

Votum absolutum est, quod emittitur sinè ullo termino conditionali, & sic statim obligationem satisfaciendi infert, si determinatum vovens assignet tempus.

Votum solenne dicitur, quod emittitur adhibitâ solennitate ab Ecclesia institutâ, & est semper conjunctum susceptioni statûs alicujus immutabilis, ut colligitur ex c: Extra: de voto, & voti redemptio: in 6.

Simplex autem votum est, quod tali solennitate non vestitur. de his vide Doct: in 4. d: 38. quæstio: unica, ejûsque commentatorem Hiquæum ibidem. Interea

Adverte, alios docere votum solenne, præsertim professionis, in hoc à simplici distingui; quod per illud transfert quis actualiter, dominium peculiare sui ipsius in Deum, & in prælatum vices Dei gerentem, (docent enim hi, votum tale consistere in traditione actuali dominij sui ipsius, in manum Dei, eo- *Distinctio voti solemnis à simplici.*

quiratur in celebratione Divini Officij?

clesiæ obligari, in recitando divino officio, ad attentionem internam, ita Durandus in 4. disp: 15. q. 12. Divus Antoninus 3. part: tit: 13. cap. 4. §. 8. Palludanus Angelus, Rosella, Silvester, & alij multi, quos citat & sequitur Diana; & fundamentū hujus probabilis sentētiæ est, illud quod tetigi antea in mea Oecodomia Col: 11. Asser: 16. p. 121; quia nimirum Ecclesia, quæ de internis non judicat actibus, tales præcipere, aut vetari nō potest, & consequenter non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solùm externā, quæ consistit in hoc, ut quis abstineat ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit.

Sed quia loco jam citato ostendi, fundamētum illud falsum esse, ex eáq; sententia, quantumvis ob tot Doctorum authoritatē, probabili, multa sequi posse sine peccato mala, sic judico contrariam veriorem esse, & probabiliorem, adeóq; illum non satisfacere præcepto Ecclesiæ de recitandis Horis Canonicis, qui spontè internis alienis cogitationibus se occupat; & ratio patet ex dictis, loco jam antea citato.

Officium pro officio licitè dici potest.

Quæres: An sine lethali peccato possit dici officium pro officio indifferenter, v. g. an loco officij ferialis, licitè quis possit orare de Sancto, aut è contra, loco officij de festo officium de feria. *Resp:* cum communi affirmativè, & ratio est, quia qui officium pro officio orat servat substantiam præcepti, quæ in hoc consistit, ut nimirum quotidie septem horæ canonicæ recitētur, & solùm mutat modum;

ergo

ergo non peccat lethaliter, nec ad repetitionem officij tenetur *sub mortali*, qui officium pro officio orat.

Hinc infertur 1. Illum mortaliter non peccare, qui mutat ordinē divini officij, hoc est orando Primam ante Matutinum, aut Completorium ante Vesperas, propter eandem rationem.

Infertur 2dò à paritate: illum mortiferè non peccare, qui celebrat Sacrum ante Matutinū, (ut cum Soto maturiores docēt Casistæ) quia nullum exstat præceptū sub peccato obligans, quo contrarium præcipitur; nec cōsvetudo contraria recepta eest, à prudentioribus sub mortali: & sanè capere non possum, quid sibi imaginentur aliqui Casistæ, qui tot peccatis mortalibus, simplicium & scrupulosorū aggravant conscientias, in hac & alijs multis materijs; in quibus nec re ipsâ venialiter quis, citra contemptum, peccat. Invertere ordinem divini officij secundùm omnes communiter non est peccatum: quare ergo esset peccatum celebrare ante Matutinū, cum nulla sit connexio Sacri cum Matutino? dicam (salvo mediori judicio) Casistæ multi sunt, qui non rationibus, nec authoritate moventur ad aliqua asserenda; sed potius quia putant, omnia vera esse, quæ in alio aliquo authore legerunt, & sic inconsideratè (ovicularum more, quarum consvetudo est, ut si una ex parte auffugiat, aut per aquam saltet, aliæ omnes, nisi impediantur, pari passu pergant) unus post alterū se subscribit; unde tutius est subinde, unum bene fundatum sequi Doctorem,

Celebrare ante Matutinum licet.

rem, quàm centum similes Scribas potiùs, quàm Casistas.

EPISTILIUM PROBLEMATICUM Columnæ Primæ.

An celebratione unius officij, duarum dierum obligationi, satisfieri possit?

COLVMNA SECVNDA.

De Decimis, & Voto.

Solutio Decimarũ non fit per modum eleemosynæ.

ASSERTIO I. Decimæ non per modum Eleemosynæ, sed potiùs per modum subsidij, Sacerdotib⁹ intuitu spiritualium laborum, debiti, solvuntur à populo Christiano, est de fide, definita in Constãtiensi sess: 8. contra Wicleffum.

Probatur: Tum quia lex naturæ dictat illi deberi sustentationem corporalẽ, qui populo spiritualia administrat; unde & Paulus 1. ad Corinth: 9. *Si nos* (inquit) *vobis spiritualia seminamus, magnũ est, si nos carnalia vestra metam⁹.* & 1. ad Timoth: 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*, & infrà; *non infrenabis os bovi trituranti*, sed Sacerdotes administrant populo spiritualia; ergo sustentatio corporalis per decimas, debetur illis de jure.

Confirmatur hoc: tum ex tot canonibus videndis in Decret: 16. q. 1. & in Decretalibus tit: de Decimis, dum etiam ex Trid: sess: 25. cap: 12. ubi jubet excommunicari eos, *qui decimas subtrahunt, aut impediunt.*

Solvuntur decimæ jure

ASSERTIO II. Quota Decimarum in Legé nova, non Divina, sed solo Ecclesiastico anti-

antiquo jure, debetur Sacerdotibus, hæc est communis inter speculativos Doctores, contra Canonistas, qui post Innoc: glossam, & Host: dicunt etiam jure divino illam deberi. *antiquo Ecclesiastico.*

Probatur: tum, quia nullum exstat in nova lege præceptū de solvenda decima parte fructuum potius, quàm vigesima: tùm etiā quia quæ præcipiuntur, Exod: 22. Levitic: 27. & Num: 18. de solutione decimarū, Levitis & Sacerdotibus de semine Aron; jam in lege Evangelica cessârunt, sicut cessârūt alia præcepta judicialia veteris Legis: ergo vi illorum præceptorum non potest dici, quòd quota decimarum, quæ nunc solvi debet, sit præcepti divini; tum denique, quia hæc quota non solùm consvetudine tolli potest, ut habetur in cap: *in aliquibus.* 32. §. fin: de decimis, sed de factò multorum fructuum decima in varijs Europæ partibus sublata est. sed hoc non posset licitè fieri, si de solutione jam dictæ quotæ, exstaret præceptum divinum: ergo non exstat.

Dixi in Conclus: *antiquo jure*, quia à tēpore Apostolorum exstat illud præceptum, ut patet in constitutione Clemētis l. 2. c. 29. & 39.

Obijcies in cap: *Tua.* 25. de decimis dicitur, quòd Divinâ constitutione decimæ debētur; ergo & in novo Testamento exstat præceptū de solutione Decimarum. *Resp: negando conseq:* quia canon iste & alij similes tantùm volunt, quod solutio decimarum ortum habet, ex antiquo jure divino, quo Deus supra, locis citatis, præcepit solutionem decimaram, & sic quod mediatè & remotè decimæ debeantur jure

jure divino, quod non est contra nos, qui de præceptis immediatis novæ Legis loquimur, aliàs objectiones vide solutas apud nostros Scotistas.

Rationes ob quas solutio decimarũ sit præcepta.

Rationes autem, cur Ecclesia mandavit solutionem decimarum, sunt variæ, & fundatæ. 1. *ratio*. Ecclesia imitata est Deum, solutionem decimarum in veteri Lege præcipientem, & Sanctos Patriarchas Abraham, & Jacob, ante legem, divino instinctu, decimas solventes. 2. *Sacerdotes nostri* debent esse pauperum, orphanorum, & viduarum parentes, & sic debent habere, non solùm, quod sibi ipsis necessarium est, sed etiã media, quibus jam nominatis subvenire possint. 3. *ad conservandam* dignitatem Ecclesiasticam proventus competentes sunt necessarij Ecclesiasticis; nam experientia constat, Sacerdotes sæculares, in locis, ubi egestate premũtur, sperni, nihilq; illis abjectius haberi. 4. *Experientia* sæpe cõstitit, Deum ipsum taxationem hanc, ab Ecclesia factam comprobasse, abundatiam frumenti, vini, & olei, solventib9 decimas, dando, & non solventibus penuriã rerũ inferendo: ut docet S. Augustinus lib: 50. homiliarum, homil: 49. *Majores* (inquit) *nostri, ideò omnibus benedictionum copijs abundabant, quia Deo decimas dabant*, &c.

Ex quibus reb9 decimæ dari debent?

Quæres: Ex quibus rebus decimæ sunt solvendæ. *Resp:* hoc non posse modò determinatè assignari, nam si Jus scriptum spectetur, decimæ dari debent ex omnibus rebus, quæ annuatim divino proveniunt beneficio, ut de fructibus agrorum, arborum, animaliũ, domorum

morum locatarum, molendinorum, piscinarum, aucupiorum, omniúmq; denique negotiorum lucratorum, ut colligitur ex cap: *non est* 22. *de Decimis.* si verò consideretur consvetudo, certum est, multis in locis, tacita condonatione, & approbatione Ecclesiæ, nonnisi ex aliquibus, ex jam assignatis decimas dari, unde locorū recepta cōsvetudo, in hac parte observari potest, sicut & praxis cujusq; Diœcesis, in assignandis ijs personis, quibus Decimæ solvi debent.

ASSERTIO III. Votum non malè describitur: promissio rationabilis, Deo facta, de re bona, & possibili. *Probatur:* tum quia habet requisita ad bonam descriptionē, tum etiā ex scriptura, quæ obligationē votorum refundit in promissionem veram (id est conformem menti) Eccles: 5. ℣. 3. *Si quid vovisti* (inquit) *Deo, nè moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* *Votum describitur*

Probatur 2dò. Ipsum explicando. Dicitur *promissio*, quia mediante habens animum offerendi Deo aliquid, significat alteri, quòd sit illud facturus: dicitur *rationabilis*, quia stulta & inconsiderata promissio, votum dici non debet, ut statim dicemus. Dicitur *Deo*, ut ostendatur differentia voti, à simplici promissione homini facta, reliquæ particulæ inferius patebunt.

ASSERTIO IV. Ut valida sit Promissio, & consequenter Votum, 5. requiruntur: 1. ut sit deliberata; 2. ut spōtanea. 3. ut fiat cum intentione se obligandi. 4. ut sit de re grata promissario; 5. ut promittens possit se ob- *Conditiones validæ promissionis.*

se obligari; hæc est etiam communis & probatur per partes: *Primò quod promissio* ut obliget, debet esse deliberata, hoc est, ut debeat fieri, cum quadam perfecta animadversione illius, quod promittens agit, (puta tali animadversione, quæ in materia prava ad lethaliter peccandum, & in bona ad bene moraliter agendum sufficit.) *Probatur*, Promissio est opus, quod quis sibi sponte imponit; sed nemo censetur sibi spontè onus imponere, nisi qui plenè advertit quid agit, dum se oneri submittit; ergo nemo censetur vovere aut promittere, qui idem non facit.

Hinc infertur: eum qui ex consvetudine, vel subitò mentis motu, præcurrente mentem lingva, vovit, non obligari illo voto, sicut non peccat mortaliter saltem, qui simili impetu malũ alteri precatur. Idem dic de votis in ebrietate, & ante rationis usum factis, quia talia nõ fiunt cum requisita animadversione.

Probatur 2. pars: de libertate, & spontaneitate, tum quia requiritur ut votum nõ sit metu vel dolo injustè extortum: tum ex dictis in Oecodomia Colum: 18. de contractibus; tum etiam quia taliter voventi deest semper consensus, nam qui errat, consentire non videtur: quod ut melius intelligas.

Adverte: ut loco jam citato dixi, dolum vel posse esse circa substantiam rei, vel circa accidentia, seu extrinseca rei, quæ hominem ad vovendũ alliciunt; vel circa aliquid quod aliquo modo redundet in substantiam rei; si sit circa substantiam materiæ promissæ, irritum facit votum, ut Doctores communiter docent;

docent; & ratio est, quia votum non obligat ultra intentionem voventis, & consequenter non obligat in eventu, quem vovens excepisset, si, cùm voveret, ei occurrisset; sed in eventu erroris substantialis, vovens excepisset, si occurrisset ei eventus ille: ergo in tali eventu votum non obligat.

Hinc infertur: in sequentibus casibus votum non obligare; ut si vovisti ingredi religionem, in hoc nostro S. Bernardini Conventu, putans esse Patrum Conventualium S. Francisci, cùm sit strictioris observantiæ, regulæ S. Patris; si voveas, te velle dare Franciscanis annulum, in quo putas esse tantùm Boëmicum lapidem, cùm sit orientalis & pretiosus. Item si quis voveret, se ingressurum Monasterium, ubi putaret regulæ essentialia accuratè servari, & tandem constaret, ita non esse; si voveret peregrinationem Lauretanam, putans Loretam 20. milliaribus v. g. tantùm distare, cùm distet centum: in his casibus votum non obligat, quia errores hi redundant in substantiam voti, & sic vovens non intendit se obligare. *Casus in quibus votum non obligat.*

Si autem error seu dolus sit extrinsecus, & accidentalis, non tollit obligationem voti, ut patet à paritate dictorum, loco jam citato, de validitate contractuum.

De metu tam gravi: 1. qui virum constantem percellat; & levi, qui in virum constantem non cadit, vide quæ dixi Colum: 18. de Contractibus, parte primâ hujus manualis; unde hic sunt tantùm sequentia obiter notanda & observanda. 1. Metus gravis, ad *Quomodo metus irritat votum.*

extorquendum votum injustè incussus, votum omninò irritum reddit, ut patet tum ex Reg. 116. de regulis juris, quæ dicit quòd *nihil consensui tam contrarium est, quàm vis, atque metus, quem comprobare, contra bonos mores est*: tum etiam, quia circa voti materiam & conditionem, vovens debet esse sui juris, sed per metum coactus injustè, non esset sui juris, ergo.

Dixi injustè, quia si justè sit incussus, in magis communi Doctorum sententia, non censetur repugnare libertati, tanquam causa extrinsecùs cogens; nec censetur irritare votum: sed opposita sententia, quam Covarra cum multis alijs Doctoribus tenet, mihi magis arridet: illi enim docent, metum gravem justè incussum, irritam reddere professionem religionis, & matrimonium; quæ duo summam requirunt libertatem, quæ non minùs per metum justè incussum, quàm injustè incussum minuitur & aufertur; ergo & votum irritum facit; nec valet paritas de alijs contractibus, quia ob insolubilitatem vinculi, & gravitatem oneris, quod secum matrimonium & professio trahunt, ad ea contrahenda major ex natura rei videtur requiri libertas, quàm in alijs contractibus opus est.

Quæres: quo jure metus irritat votum. Resp: quòd jure naturæ. ita D. Bonaventura, Scotus, Covarruv. & alij multi, & ratio est, tum quia Deus Sacrificia amat non coacta, sed voluntaria, & sic promissiones injustè extortas non acceptat, nè videatur approbator injuriæ illatæ; tum etiam, quia talis

talis promissio homini facta, arbitrio promittentis revocari potest: ergò & Deo; sed hoc non esset verum, nisi lege naturali promissio illa irrita foret. ergo est.

Secundò, metum levem non irritare votum, saltèm in foro externo, *quia vani timoris nulla est excusatio*, ut dicit regula juris, sed talis est timor, quo quis vovet ex metu levi; ergo.

Dixi in foro externo, quia quamvis in illo foro non admittatur exceptio hujus metûs, nec datur actio ad rescindendum contractum; tamen in foro conscientiæ, si metus levis per injuriam sit incussus, sufficiens est, in probabili sententia, ad rescindendum contractum, etiam matrimonialem, & ad invalidandum votum; & ratio est, tum quia potest contingere, ut talis metus æquè compellat nolentem ad consensum, ac metus grandioris mali; sed ex dictis, hic dat potestatem rescindendi contractum; ergo & ille. Tum etiam, quia qui metu cogitur, injustè suâ privatur libertate, eique fit injuria: ergo debet ei fieri restitutio damni; & consequenter in pristinum statum debet restitui; ut sic liberè possit probare vel improbare contractum. *Hanc totam doctrinam* existimo genuinam esse Doctoris nostri mentem, in 4. d 29. n. 7. & 8. quem sequitur ipsius clarissimus expositor; meúsque consanguineus, *Antonius Hiquæus ibidem* à n. 11. usq; ad 32. inclusivè. Hinc varij casus resolvi possunt, & magna ex parte resolutos vide apud nostrum *Hiquæum* loco jam citato.

Metus sufficiens est in foro cõscientia.

Tertiò: Metus gravis, in sequentibus casibus incuti censetur: 1. in casu imminentis mortis. 2. mutilationis membrorum. 3. atrocis cruciatûs. 4. longi carceris. 5. servitutis. 6. diuturni exilij. 7. stupri in viro vel fæmina. 8. amissio bonorum vel notabilis partis. 9. Omissionis honorifici statûs. 10. infamiæ juris vel facti; fama enim opibus meritò præfertur, nam *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Prov. 22. (Parentibus metus incutitur gravis, quando filijs, filiabus, & nepotibus mala hæc evenire, nisi consentiant, judicent, & idem dic de sorore respectivè ad fratrem, ut docet Hiquæus jam citatus) 11. excommunicationis injustæ. 12. Metus reverentialis, quo nimirum filius timet offensionem gravem Parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, uxor mariti, monachus superioris, & clericus sæcularis Episcopi. Ex his colligere facilè quis poterit casus, in quibus metus levis contingere solet.

Propositū differt à Voto.

Quæres: an propositum æquipolleat voto, saltem simplici. Resp. Neg: & patet tum ex script: quæ votorum obligationem refundit in promissionem. Dev: 23. ℣. 14. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, &c.* & infra, *si volueris polliceri absque peccato eris*: tum etiam quia nemo vovit aut se alteri obligat, nisi qui efficaciter intendit (intentio non sufficit nisi sequatur actus) se obligare; sed solo proposito se nemo intendit efficaciter obligare: ergo solo proposito nemo vovit; tum denique quia novi-

novitij intendunt primâ die ingressûs religionis vovere, Sed tamen per hoc durante anno probationis non obligantur, ut docet Trident: Sess: 25. cap: 15. ergo.

ASSERTIO V. Votum aliud est conditionatum, aliud absolutum, aliud simplex, aliud solemne; hæc non habet difficultatem, nisi ut membra ista explicentur. Igitur *Divisio votorum.*

Votum conditionatum est illud, cujus obligatio suspenditur, usque ad conditionis eventum, sic vovens Religionem ingredi, si Parens morietur, mortuo Patre, & non antea ingredi tenetur.

Votum absolutum est, quod emittitur sine ullo termino conditionali, & sic statim obligationem satisfaciendi infert, si determinatum vovens assignet tempus.

Votum solenne dicitur, quod emittitur adhibitâ solennitate ab Ecclesia institutâ, & est semper conjunctum susceptioni statûs alicujus immutabilis, ut colligitur ex c: Extra: de voto, & voti redemptio: in 6.

Simplex autem votum est, quod tali solennitate non vestitur. de his vide Doct: in 4. d: 38. quæstio: unica, ejûsque commentatorem Hiquæum ibidem. Interea

Adverte, alios docere votum solenne, præsertim professionis, in hoc à simplici distingui; quod per illud transfert quis actualiter, dominium peculiare sui ipsius in Deum, & in prælatum vices Dei gerentem, (docent enim hi, votum tale consistere in traditione actuali dominij sui ipsius, in manum Dei, eo- *Distinctio voti solemnis à simplici.*

rúmque qui vices ejus gerunt in terra) & sic redditur ad tradendum se alteri inhabilis per matrimonium.

Votum autem simplex, quod consistit in nuda promissione, hoc non facit, quia quamvis per illud quis suam fidem Deo obligat, ad præstandum quod promittit, & sic sinè peccato matrimonium contrahere non potest: tamen quia sui ipsius retinet absolutum dominium, validè se alteri per matrimonium tradere potest, diversitas hæc mala non est; sed prior distinctio, si bene intelligatur, melior est.

Materia Voti conditiones.

ASSERTIO VI. Ut aliquod opus possit esse voti materia, 3. requiruntur. 1. ut illud sit in libera nostra potestate. 2. ut sit opus bonum. 3. ut sit melius quàm oppositum, hæc est communis, &c.

Patet 1. pars: Nam ad illud quod simpliciter necessarium est, & quod velle nolle evenire debet, sinè imprudentia particulari voto nemo se obligare potest; sed quod in libera nostra potestate non est, simpliciter est tale, ergo voto ad illud se nemo obligare debet, & consequenter nequit esse materia voti. Non voveas igitur te nunquam peccaturum, aut moriturum, quia illa pro hoc statu, evitari moraliter saltem loquendo, non possunt.

Patet 2. pars: Tum quia si non esset bonum, non conduceret ad finem, quem homo habet, se per votum Deo obligandi, qui est gloria Dei, & beatitudinis adeptio: tum etiam, quia aliàs à Deo, *cui stulta promissio*

sem-

semper displicet, non acceptaretur, nisi esset bonum; ergo. Non voveas igitur te non velle parcere inimicis; aut dare eleemosynam ob finem pravum, vel malum, quia tale votum non obligat.

Patet 3. pars: Quia Deus, cui oppositum talis voti magis placet, non acceptat illud; ergo vovens ad illud non obligatur. Non voveas itaque te non velle dare eleemosynam, suscipere Ordines, intrare Religionem, &c. quia opposita Deo (qui majus bonum minori semper præfert) magis placent.

Quæres: Quale peccatum est violare votum? Resp. subinde esse tantùm veniale, subinde mortale, prout tenuitas, vel extensio materiæ, & animadversionis modus se habet; & ratio est, quia, sicut materia in cæteris peccatis contra virtutes facit, ut nunc sint venialia, nunc mortalia, ita etiam in peccatis contra votum, materia facit ut nunc sint parva, nunc magna. Vovisti singulis diebus orare Salve Regina, vel etiam Rosarium B. V. omittendo mortaliter non peccas, idem dic de Clerico omittente unum vel alterum Psalmum, nè dicam Nocturnum divini Officij. *Quale peccatum est violare votum?*

ASSERTIO VII. Alieno voto nemo obligatur, ex vi illius voti; *ratio est*, tum quia in rebus quæ ad statum vitæ spectant, quivis ita sui juris est, ut ad ea, non nisi ipso consentiente, obligari posset ex voto; ut patet ex dictis; sed hoc non esset verum, si alieno voto quis posset in conscientia obligari: ergo non potest. *Alieno voto nemo obligatur.*

Confirmatur: Nemo poteſt vovere, aut prudenter alteri promittere, niſi quod in ipſius eſt poteſtate; ſed arbitrium, & actiones unius perſonæ, non ſunt in poteſtate alterius, v.g. actiones Filij in poteſtate Patris, ergo unus non obligatur voto alterius.

Nec valet noſtri Pontij hic diſp: 60. q. 5. n. 33. poſt alias diſtinctio de voto perſonali, & reali (per primum intelligunt votum actionis ab ipſo vovente exhibitæ, per ſecundum verò votum de re aliqua facienda, quæ æquè bene ad finem intentum poſſit fieri, per alium pro ipſo, ac per ſe, ut votum dandi 100. aureos pauperibus) quia nec uno nec altero obligatur aliquis, ut ſtatim patebit ex ſolutione objectorum.

Objicies: Varios canones, quibus dicitur, quòd in infãtia àParẽte religioni dicat⁹, tenetur profiteri illam religionem, ita habetur in *cap. Addidiſti*, 2. & *cap. Quicunque* 4. & alibi ſæpe: ſed hoc non eſſet verum, niſi poſſit quis obligari voto alieno, ergo poteſt.

Confirmatur: Si moribundus voveret, ſe velle ædificare monaſterium, v. g. vel viſitare domum Lauretanam, per ſe vel ſuos hæredes, tenentur hæredes ad ea præſtanda, quæ ipſe præſtare non potuit, ut habetur in cap: *Si hæredes, de teſtamentis*. & ratio eſt, quia, ſicut hæres tenetur ſolvere ea quæ teſtator promiſit homini, ita etiam tenetur præſtare ea, quæ promiſit Deo: ergo unus poteſt obligari voto, ſaltem reali, alterius. Ad Objectionem

Reſpondeo: Canones illos eſſe intelligendos

dos, casu quo filius jam puber factus, ratificaret novo voto factum Parentis, quod nihil facit ad rem. *Ad Conf. R. Dist. anteced.* tenentur hæredes ad ea præstanda ex justitia, sicut tenentur solvere alia ipsius debita, concedo antecedens: vi voti testatoris, nego antecedens & consequen:

ASSERTIO VIII. Ut quis possit obligari voto emisso, debet esse maturo judicio præditus, suique juris, taliter, ut alterius non sit potestati subjectus. 1. *pars patet*, ex dictis suprà de conditionibus requisitis ad votum; unde hic tantùm notandum est lege humanâ cautum esse, *in cap. non solùm, de Voto & Voti redempt.* masculum usque ad 14. annum suæ ætatis, & femellam usque ad 12. annum subditos esse, quoad rem & voluntatem, Parentibus, & sic nec unum aut alterum posse se ullo obligare voto solemni, aut simplici, etiam religionis obligante ipsos, Parente contradicente; nam quodcunque simile votum ab impubere emissum, potest à Parente irritari. Iam: *Conditiones Voventis.*

Probatur 2. pars: Nullus potest validè aliquid promittere, quod non in ipsius, sed alterius situm est voluntate: ergo ut quis possit obligari voto, debet non esse alterius voluntati subjectus. Vovisti Franciscane nescio quas peregrinationes, & extraordinarias mortificationes, Superiore inscio; ad nihil teneris, nam cùm tuæ voluntatis plenum dominium habeat Superior, ipso inscio, non validè quidem vovere poteras. Imò si Superior positivè consentiat, ut voveas pere- *Varij casus resolvuntur.*

 grina-

grinationem, v. g. potest adhuc (in probabili sententia) suum revocare consensum, taliter, ut ab executione voti excuseris. & ratio est, quia, non obstante primo consensu, adhuc Superior retinere potest dominium voluntatis subditi, illiúsque tantùm usum revocabilem illi concedere, in ordine ad talem actum, peregrinationem v. g. Loretam; sed hoc supposito potest Superior revocare facultatem illam à se datam; ergo & subditus potest sic ab executione voti excusari.

Quod dixi de pueris & religiosis, idem proportione servatâ assero de uxore in ordine ad vota emittenda, nam cùm subdita sit viro, tanquam capiti, teste Apost. 1. *Cor.* 11. vota omnia illius, quæ sibi aut illi præjudiciosa esse possunt, irritare; ut cum Navarro docent multi Canonistæ, potest maritus.

Objicies contra primam partem: Matrimonium inter impuberes, doli ita capaces, ut possint generare, validum est, ut habetur in cap: *de illis* extra, de desponsatione impuberum; ergo vota alia eorum solemnia valida erunt.

Confirmatur: Si puer susciperet diaconatum, tenetur ex vi voti annexi ad continentiam: ergo si voveret castitatem, tenetur ad illam observandam. ℞. *con. antec. & neg. conseqn.* & paritatem, nam per solémne professionis votum moritur homo civiliter, & sic Ecclesia, ut constat *ex Trid. Sess.* 25. *cap.* 15. non acceptat tale votum ab impubere emissum: per matrimonium autem non sic moritur. *Ad Conf.* ℞. *N. ant.* absolutè, quia tali-

taliter ordinatus ad continentiam non obligatur, nisi libero suo (dum annus venerit discretionis) consensu se obligate voluerit.

ASSERTIO IX. Bonum est, & laudabile Deo vovere continentiam, & alia multa quæ sub præcepto non cadunt. Hæc est de fide contra Lutheranos & Calvinistas. *Probatur* omne illud Deo rectè vovetur, quod est illi gratius, si fiat, quàm si non fiat; sed continentia tam virginalis, quàm vidualis est gratior Deo, quàm status matrimonialis; ergo continentiam vovere bonum est, & laudabile, major est certa. minor probatur, tum ex Apost: 1. Corint: 7. *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit. & qui non jungit meliùs facit,* (& infra loquendo de viduis) *beatior autem erit, si sic permanserit;* tum etiam ex sanctis Patribus, quos fusè citat Bellarminus lib: 2, de monachis cap: 28. ergo.

Vovere Deo gratum est.

Quod verò ex parte voti, meliùs est & gratiùs Deo aliquid facere, quàm sinè voto; *probatur*, tum ex script: quæ nos psalmo 75. hortatur ad vovendum, *vovete,* inquit, *& reddite Domino Deo vestro, &c.* Isaiæ 19. *cognoscent Ægyptij Dominum, & vota vovebunt Domino, & solvent.* tum etiam ratione, eò melius ac Deo gratius est opus, quò magis ex pluribus virtutibus procedit; sed continere v. g. sine voto, est virtutis temperantiæ, & continere ex voto, est actus simul temperantiæ & religionis in Deum, quæ temperantiâ nobilior est; ergo continere (idem dic de alij pijs operibus) ex voto, meliùs est & Deo gratiùs, quàm sinè voto.

Objicies; Opus illud censeri debet melius & coram Deo laudabilius, quod est magis voluntarium & liberum, minúsque necessarium; sed opera ad quæ ex voto non adstringimur, sunt talia, (votum enim infert necessitatem) ergo illa sunt meliora, & Deo magis grata. probatur major: psalmo 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*: 1. Gen: 7. *non ut laqueum vobis injiciam.* 2. Corin. 9. *unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate;* ergo.

℞. *absolutè N. minorem*: nam ordinariè quod ex voto fit, fit libentiùs & promptiùs, quàm quod fit sinè voto; votum enim gignere solet lætitiam, juxta illud Paralip: ultimo: *lætatus est populus; cùm vota spontè promitteret, &c.* quod si qui inveniantur, qui illibenter solvunt, quod voverant, id contingit vitio fragilitatis humanæ, non ex natura voti; *deinde* potest quis meritoriè solvere cum tristitia, quod vovit: ut v. g. si Franciscanus, qui vovit jejunare à festo omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini, inciperet non amare jejunium, ac proinde cum difficultate, & tristitia jejunet, tamen quia vult Deo servare fidem datam, prompto & generoso animo superatâ illâ difficultate, implet votum, in tali casu magis meretur jejunando, quàm si sinè voto expeditè jejunaret; quia sicut virtus religionis excellentior est temperantiâ, sic meliùs & magis meritoriè operatur ille, qui lubens adimplet votum, quod est religionis. quàm qui sinè voto libenter jejunat, quod est temperantiæ.

Ad

Adscript: loca: & 1. ad 1. R. *Ly Voluntariè*: ibi non opponi necessitati, quod oritur ex voto vel præcepto, sed potiùs coactioni, quâ quis impellitur ad operandum, repugnante absolutè voluntate. Ad secundum R. per laqueum non intelligi ibi, ut vult Pseudomartyr Petrus, votum, aut necessitatem ex illo provenientem, sed potiùs necessitatem, quâ quis impellitur vi ad ea facienda, quæ nec vovit, nec vult, & de tali necessitate intelligendus est ultimus locus.

ASSERTIO X. Voti obligatio quatuor modis tolli potest: desitione scilicet, irritatione, dispensatione, & commutatione. est communis, & patet explicando illos modos: 1. *desitione* tollitur, si manifesta contingat mutatio materiæ voti aut circumstantiarum, ut si materia, quæ antea fuit honesta, fiat turpis, impossibilis, inutilis, vel impeditiva majoris boni, tunc per interpretationem *Epiceia* cessat obligatio voti: 2. *irritatione* factâ ab eo, in cujus potestate erat is, qui vovit, juxta dictâ suprà Assertione. 3. *dispensatione*, quando authoritate Superioris à voto quis omnino absolvitur. 4. *commutatione*, ut dum obligatio voti ab una materia transfertur in aliam; & hoc differt à priore, quia per illam tollitur absolutè obligatio voti, per hanc verò non, sed tantùm quoad illam certam materiam, quàm quis voverat.

Modus quibus obligatio voti tollitur.

ASSERTIO XI. Potest quis propriâ authoritate votum suum mutare in id quod constat esse melius, *probatur*, tum ex cap: *Pervenit* 2. de jurejurando, *propositum* inquit,

Potest aliquis commutare suum votum.

inquit, *seu promissum non frangit, qui in melius illud commutat.* tum etiam quia minus bonum in majori bono continetur; ergo, qui promittit minus, dando majus, excellenter solvit quod promiserat, sic, si promisisti canem, satisfecisti dando equum. Hinc:

Infertur: quemlibet posse vota omnia personalia, ante ingressum religionis emissa, commutare in votum religionis, & votum ingrediendi religionem laxiorem, in strictiorem.

Objicies cum Sylvestro: qui oppositum conclusionis tenet: nemo potest in suo voto dispensare, quia dispensatio requirit authoritatem superioris; ergo nec suum votum commutare, à paritate. *Confirm.* In propriâ causa nemo potest esse Judex; ergo nec propriâ authoritate suum votum commutare. ℞. *N. consequ.* & paritatem, nam commutatio non requirit authoritatem superioris; quando constat id esse melius (id est Deo seu creditori gratius) in quod fieri debet commutatio. *Ad conf:* ℞. *Dist: antece:* propriâ authoritate invitâ parte, *conc. anteced.* consentiente parte, ut in proposito fit, *N. antec: & consequen:*

Qui potest dispensare potest & commutare.

Hic duo sunt notanda: *primum,* quòd qui habet authoritatem ordinariam vel delegatam dispensandi, habet etiam potestatem commutandi (quidquid dicat in contrarium Navarrus) non tamen è contra, quia qui potest absolutè in Dei nomine voti obligationem tollere, quare non possit illam condonare cum onere, ut fit in commutatione; *Se-*

cun-

cundum autem est, eum, qui potestatem habet commutandi, debere votum commutare in æquale, vel quasi æquale, hoc est in aliud, quod prudentis judicio, æquè gratum erit Deo in his vel illis circumstantijs; & in hoc sensu subinde salubriter vota longinquarum peregrinationum mutantur in jejunia, largas eleemosynas, & hujusmodi. Nunc sit

ASSERTIO XII. Est in Ecclesia potestas dispensandi in juramentis & similibus obligationibus, debitisque erga Deum contractis: *probatur*, tum ex Apost: 2. Corith: 2. *nam, & ego*, inquit, *quod donavi, si quid donavi, propter vos; in persona Christi*: ubi Paulus dicit, se condonâsse debitum pœnæ contractum ex culpa, quod & Ecclesia facit, dispensando & indulgentias conferendo; tum etiam, quia cùm Dominus Deus Ecclesiæ contulit potestatem solvendi à vinculis culpæ & pœnæ, ut colligitur ex script: Matthæi 16. *Dabo tibi claves Regni cœlorum, &c*; ac perpetuâ ejusdem Ecclesiæ traditione; censendus est etiam Ecclesiæ contulisse potestatem absolvendi à vinculo votorum & juramentorum; nam hæc absolutio sæpe necessaria est ad animarum salutem.

Ecclesiæ ad dispensandum potestas.

ASSERTIO XIII. Potestas dispensandi, quæ jurisdictionis tantùm est, jure ordinario competit solis Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo; jure autem delegato competere potest & solet non habentibus talem potestatem. I. *pars probatur*: quia si esset potestas ordinis, deberet cuilibet ordinato Sacerdoti competere; sed non

Quibus competit dispensandi potestas

non competit; ergò non ordinis, sed jurisdictionis est. *probatur 2. pars*: potestas illa pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem: ergo jure ordinario ijs talis competit, qui administrationi Ecclesiæ præsunt. 3. *pars patebit* ex dicendis de privilegijs, ubi ostendam, quòd Superiores mendicantium, qui in foro externo jurisdictionem non habent, vi suorum privilegiorum delegatam habent potestatem dispensandi in omnibus, in quibus possunt Episcopi, seclusâ peregrinatione ad 40. Italica milliaria.

Valida dispensatio requirit causâ.

ASSERTIO XIV. Ad validam dispensationem justa requiritur causa. *Probatur*, quod Deo debetur, condonari ab alio non potest, nisi justâ interveniente causâ; quia talem condonationem Deus non acceptaret, sed quod vovetur, Deo debetur; ergo condonari non potest, nisi justa causa condonandi subsit; & si quæras, quænam sint justæ causæ dispensandi? R. *cum Soto*: quòd hæ, honor nimirum Dei, utilitas Ecclesiæ & voventis, magna ejusdem fragilitas, levitas, & animi in vovendo inconstantia, timor, perturbatio ejusdem &c.

Dispensandi Episcoporum potestas.

ASSERTIO XV. Episcopis omnibus, jure ordinario competit potestas dispensandi in votis omnibus suorum subditorum, (hoc est omnium qui in diœcesi domicilium habent) præter ea, quæ summo Pontifici reservata sunt. *Probatur*, quia quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia, potest Episcopus (qui sacrorum Princeps est in sua Ecclesia) in suâ diœcesi, sepositâ reservatione, ergo.

Vota

Vota autem Pontifici reservata, juxta stylum Curiæ Romanæ, censentur hæc, castitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellam, & ultra-marinæ, seu in terram sanctam. Non desunt tamen Doctores, qui post Panormitanum, & Glossam docent tria illa peregrinationum vota, si tantùm devotionis, & non subsidij gratiâ fiant, non reservari Pontifici, & consequenter Episcopum in illis posse dispensare. *Vota Pontifici reservata.*

Hinc collige: Episcopum posse dispensare in sequentibus votis, puta religionis non approbatæ, paupertatis, & obedientiæ perpetuæ in tali religione emissis, castitatis non perpetuæ (puta 20. annorum) non petendi debitum, non nubendi (hoc enim differt à voto castitatis, quia per fornicationem non violatur) suscipiendi sacros ordines, & intrandi strictam religionem; potest enim Episcopus commutare hoc votum in laxiorem religionem. Etiam multi Doctores docent, Episcopum posse dispensare cum illo, qui non obstante simplici castitatis voto, contraxit matrimonium, ut petat debitum, ob continuum incontinentiæ periculum. Idem docent de voto continentiæ emisso à conjugibus post contractum matrimonium, ob idem incontinentiæ periculum.

Hinc inferre licet 1. Prælatos regularium, quales sunt Generales, Abbates, Provinciales, Guardiani & Rectores, posse dispensare in votis suorum subditorum, sicut Episcopus in votis suorum subditorum, quia Prælati *Dispensandi potestas Regularium.*

illi, ut docent Doctores communiter, quasi Episcopalem habent jurisdictionem, respectivè ad sibi subjectos. 2. Confessores ordinum mendicantium posse, vi suorum privilegiorum, dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis, ad duas dietas (id est quinque Germanica, Hibernica decem, & Italica 40. milliaria) ut patet ex compendio privilegiorum Fratrum nostrorum minorum, *fol.* 55. editionis Venetæ, & fusius patebit ex dicendis de privilegijs.

Papa potest dispensare in voto solemni castitatis.

ASSERTIO XVI. Summus Pontifex justâ interveniente causâ, potest dispensare in voto solemni castitatis religiosorum; hæc est communis cum Doct: *in* 4. *d.* 38 *q. unica. n.* 6. & apud commentatorem ipsius ibidem. *n.* 18. 28. & 36. quem contra D. Thomam sequuntur Theologi communiter. *Probatur* 1. Pontifex sæpe in tali v[illegible] dispensavit, quod non faceret si non posset: ergo. probatur antecedens: Alexander III. teste Volaterano lib: 4. hist: dispensavit cum Nicolao Justiniano, ut posset uxorem ducere, ad conservandam tam illustrem familiam, ex qua uxore Justinianus sex filios, & tres filias suscepit, tandémque ad monasterium redijt. Idem Pontifex dispensavit cum quodam Rege Atragoniæ, professo priùs monacho, ut uxorem duceret; teste Paludano, citante pro se Annales Hispaniæ. Cœlestinus etiam III. dispensavit cum Constantia Regis Siciliæ filia, moniali professa, ut nuberet Henrico VI. Galliarum Regi, teste Platinâ in vitis Pontificum: ergo. *Pro-*

Probatur 2. Pontifex potest, & solet dispensare in voto simplici castitatis: ergo potest etiam in solemni; probatur consequentia: solemnitas voti solâ Ecclesiæ institutione introducta est; ergo per dispensationem sublatâ illâ authoritate, aufertur & solemnitas; probatur antecedens *ex cap: unico de Voto in 6.* ubi Pontifex ait: *Quod votum debeat dici solemne, nos consulere voluisti, nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione inventa est, &c.* Idem expresè docet Greg: XIII. in constitutione, quæ incipit, *Ascendente Domino*: ergo ex decretis Pontificum constat, quòd solemnitas voti, solâ Ecclesiæ constitutione introducta est.

Obijcies: pro D. Thom: quod semel consecratum est Deo, non potest converti ad usus profanos; sed per solemne castitatis votum religiosus consecratur Deo; ergo dispensatione nullâ potest ad humanos matrimonij usus converti. ℟. 1, *dist: maj:* sinè dispensatione concedo maj: factâ dispensatione nego maj: & consequentiam.

Resp. 2. *Negando* Solemnitatem voti consistere in ulla benedictione, aut consecratione distincta ab ea, quà se quis Deo consecrat, etiam per simplex votum; nam nec Dominicani ipsi, dum professionem emittunt, consecrantur, & multò minùs Franciscani, aut Jesuvitæ. Quod dixi de voto castitatis, idem de votis paupertatis, & obedientiæ affirmo, à paritate rationis.

Quares Quid requiratur essentialiter ad

Essentia Status Religionis. statum religionis. R: *hac* 3. requiri, eáque perpetua vota, *paupertatis* scilicet, *castitatis*, *& obedientia*, & ratio præter communem Canonistarum, & aliorum Doctorum consensum est, quia religio est forma quædam vitæ ad imitationem Christi vitæ & doctrinæ instituta; sed jam dicta tria vota, eorúmque observatio, maximè ad imitationem Christi, charitatísque perfectionem conservandam conducunt: ergo; maj: est certa, probatur min. & 1. de paupertate Matth: 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: & in fine: *Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, &c.*

Probatur etiam de castitate, *Matt*: 19. sunt Evnuchi, *qui se castraverunt propter regnum Dei*, qui potest capere capiat 1. Cor: 7. *de Virginibus præceptum Domini non habeo, &c.* quibus in locis hortatur nos Salvator ad continentiam, tanquam ad rem, licet difficilem, eximiam, Deóque gratam.

Probatur denique de obedientia, Matt: 16. *qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* sed abnegatio illa maximè fit, submittendo voluntatem & judicium nostrum voluntati & judicio superioris, quod per obedientiam fit: ergo testimonio sacræ scripturæ minor est vera.

Convenientia & diversitas Ordinum Religiosorum. ASSERTIO XVII. Ordines omnes Religiosorum in essentialibus religionis conveniunt, est communis, *& probatur*, quia omnes illi Ordines approbati sunt, tribúsque votis solemnibus adstricti, sed ista sunt essentialia religionis: ergo. AS-

ASSERTIO XVIII. Diversitas Ordinum primariò provenit ex fine particulari, ad quem quisque Ordo specialiter est institutus; secundariò verò ex diversitate mediorum, quæ ex suis constitutionibus ad illum finem applicare debent: hæc etiam videtur communis, unde non habet aliam difficultatem, nisi ut

Advertas: quosdam Ordines Religiosorum institutos fuisse, qui præter observantiam trium votorum essentialium, potissimùm incumbunt, ut se exerceant in operibus puræ vitæ contemplativæ; & hi soli monachi vocari debent; súntque illi Ordines, quos antiquiores instituerunt Patres, ut *Antonius, Pachomius, Basilius, Benedictus, Bruno, Bernardus, & Cluniacensium author*, qui Benedictinus erat; unde miror quorundam stupidam ignorantiam, qui per contemptum sanctum hoc monachi nomen Franciscanis, vel Dominicanis tribuunt, cùm nos non sumus magis monachi, quàm sunt Jesuitæ vel Theatini, qui tali nomine vocari nolunt.

Monachi qui nam dicendi?

Alij sunt Ordines instituti ad opera vitæ activæ corporalia, puta ad redimendos captivos, ad suscipiendos peregrinos, ad serviendum infirmis, ad defendendam Ecclesiam contra hostes fidei, quæ sunt charitatis opera, quibus ad perfectionem tenditur.

Alij denique sunt instituti partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ activæ spiritualia, quæ contemplationem supponunt, & hi sunt sanctissimi illi quatuor mendicantium Ordines, quibus adde Clericos regu-

Mendicantes nō Monachi sed Religiosi appellari debent.

Regulares Societ. JESV, qui authoritate Apostolicâ mendicantium nomine & privilegijs gaudent; & hi non Monachi sed Religiosi simpliciter, tales vel tales à cordatis omnibus appellantur; utunturque, sicut & priores illi, varijs medijs & ritibus diversis, in victu, vestitu, jejunijs, aliísque pijs exercitijs, vel ad vota sua meliùs observanda, vel ad functionem propriam meliùs obeundam, quibus maximè ornatur Ecclesia, viáque quàm plurimis aperitur ad perfectionis statum, nam qui non est idoneus ad hoc exercitij genus, erit ad aliud.

Ordines varij.

Doctores communiter quatuor tantùm regulas approbatas numerant, sub quibus alij omnes religiosi (si Carthusianos, & PP. Societ: JESV excipias) militant; videlicet *Basilij*, sub cujus regula vivunt quasi omnes Græci Monachi; *Augustini*, sub cujus regula vivunt omnes Canonici regulares, Dominicani, Augustiniani, Servitæ, Hieronymistæ, Hospitalarij, Cruciferi, & aliqui alij; *Benedicti*, sub cujus regula vivunt monachi nigri, Benedictini communiter dicti, Cluniacenses, Cœlestini, & similes. *Et Francisci*, sub cujus regula vivimus nos Franciscani Strictioris Observantiæ, qui regulam sine glossa ad literam ita observamus, ut in nullo ipsius consilio, aut præcepto dispensationem unquam acceptaverimus; quapropter antiquo religionis sigillo utitur noster Generalis, sicut & titulo Ministri Generalis totius Ordinis sancti Patris nostri Francisci. *Conventuales*, qui regulam sancti Francisci non obser-

Observantium laus.

servant, nec observare in professione vovent, nisi juxta eorum privilegia. Franciscani tamen juxta Bullam Vrbani VIII. dici debent, & habent suum Magistrum Generalem. Et *Capucini*, qui regulam strictè observant, uno hoc præcepto *cap. 8. regul:* excepto *Universi Fratres unum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere in Generalem Ministrum, & servum totius confraternitatis, eiq; teneantur firmiter obedire*, in quo ipsi dispensationem acceperunt, præsertim tempore Vrbani VIII. dum Vicarium Generalem suum per breve, titulo Generalis Ministri honorari fecerunt.

PP. Capucini Franciscani sunt, sed totum Regulam sinè dispensatione non observant.

Hic obiter notare volui, quàm inconsideratè in re certa disputant, qui volunt gloriosum *sanctum Antonium de Padua*, non fuisse nostræ Observantiæ, sed potiùs Conventualium, cùm nec ipse *D. Franciscus* strictiùs regulam ad literam observavit, quàm *Antonius*; deinde *S. Antonius* tantus fuit adversarius illorum, qui Conventualismum inchoârunt, quòd fuerit causa depositionis *Fratris Eliæ*, tunc Generalis Ministri, ex officio, eò quòd regulæ puritatem procurando tot relaxativa privilegia depravavit. Denique tempore *S. Antonij* (quamvis cum ipso selectissimi quiq; ad literam observabant regulam) non fuit religio divisa; unde uno tunc nomine, tam observatores regulæ, quàm alij, qui privilegijs relaxativis utebantur, Franciscani dicebantur; Itaque fatemur *sanctum Antonium* nostrum Franciscanum fuisse, & sic in nomine cum Conventualibus, & Capucinis (hi in

S. Antonium non fuit Conventualis.

uno, & illi in multis regulæ præceptis privilegia laxativa admiserunt) convenire.

At illum: *Vixisse*, aut professum fuisse, more quo Reverendi Patres Conventuales, juxta sua privilegia vivunt, non nisi amens dicere; sic ergo zelosissimus regulæ observator *Antonius*, nostræ Observantiæ semper erat, & est, quamvis titulus Observantinorum, qui ab observantia regulæ desumptus est, ut distinguantur à Conventualibus Patres observantes, non incepit, nisi factâ Ordinis divisione. Hinc

Colligitur facilè, Observantinos re ipsá fuisse ante Conventuales, nam observantia regulæ præcessit haud dubiè illius transgressionem, & sancto Patre Francisco vivente, nullum fuit relaxativum regulæ privilegium. Unde in omnibus publicis actibus observantinis competit præsidentia ante illos, ex decretis tot Pontificum, cujus contrarium hic Olomutij, & Pragæ observari video, non sinè mea admiratione.

Hic etiam subjungere volui, quæ à magno illo viro nostræ religionis Chronologo & ornamento singulari, Patre Fratre Luca Waddingo, Romæ (dum Theologiæ studio anno 49. operam navarem, sub RR. PP. Thadæo Daleo, & Antonio ò Brien Hibernis) audivi, nimirum, quod dum S. Bernardinus noster Senensis, temporibus Martini V. & Eugenij IV. (controversia hæc de Sanctissimo nomine JESV inter *S. Bernardinum*, & *D. Joannem Capistranum*, cum Franciscanis omnibus ex una parte ; & quendam Patrem *Manfredum*

Vercel-

Vercellensem Dominicanum cum suis adhærentibus, ex altera parte, initium & finem accepit, ut fusè refert R. P. Arturus à Monasterio in suo Martyrologio Franciscano, die 14. Januarij) triumphâsset de inimicis sanctissimi nominis JESV (sanctus Bernardinus fuit primus, qui nomen JESV hoc modo IHS graphicè scriptum in tabellis, & charta pingi fecit, populóque adorandum ostendit) numénque illud, quod est super omne nomen, in vexillis depictum, publicè per Romam, usque ad Basilicam S. Petri, totâ concomitante Româ portâsset; obtinuit à Summo Pontifice facultatem erigendi Romæ Congregationem sanctissimi nominis JESV, quæ magnâ utriusque sexûs frequentiâ adhuc celebris erat in Urbe tempore illo, quo gloriosus Sanctus Ignatius Lojola, Romam Dei monitu venit, qui ut ardentissimus erat nominis JESV zelator, non solùm se in Albo sociorum dictæ Confraternitatis inscribi voluit, sed & prima sui ordinis fundamenta Romæ in eodem illo loco jecit, (vulgò hodiè JESV, domus illa professa vocatur) in quo Ecclesiola nominis JESV, sæpe dictæ confraternitatis fuit, ac tandem obtentâ à Sede Apostolica, non sinè magno Christianitatis commodo, sui instituti confirmatione, nomine JESV hoc modo, IHS, scripto pro insigni, seu sigillo, quoad vixit usus est, posteriósque suos minimæ Societatis JESV titulo gloriari voluit. Hæc Waddingus.

S. Bernardinus primò nomen JESU pingi fecit, & adorari.

Patres Societatis à Franciscanis suum insigne acceperunt.

Si historia hæc vera est, prout esse non dubito, (fabulas Waddingus narrare non sole-

bat) cùm Patres Societatis Seraphicæ religionis membrum (prout vellem me cum veritate posse) dicere non audeo, ut imitatores saltem S. Bernardini in cultu nominis Jesv; citra injuriam salutare non vereor: & hæc talis qualis descendentia fortè in causa est, quòd Societas nobis præ alijs Religiosis hactenus semper adhæsit, nostræq; Scholæ doctrinam de immaculata Conceptione, de nomine Jesv, & sanguine Christi, mordicitùs propugnavit.

EPISTILIVM PROBLEMATICVM COLVMNÆ II.

An S. Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, ordinis sit S. Francisci Patriarchæ pauperum?



COLVMNA III.

De Iuramento, & vitijs Religioni oppositis.

Explicatis ijs, quæ voti, statúsque religiosi naturam concernunt, rectè ordine de juramento (quod à jure dicitur, quia instar juris habetur) altero religionis actu agitur. Unde sit

Iuramenti descriptio. ASSERTIO I. Juramentum communiter describitur post D. Thomam: Invocatio divini testimonij ad fidem faciendam vel

vel prem ssionem firmandam; *probatur*, tum quia bonæ descriptionis conditiones habet; tum ipsam explicando: dicitur *invocatio* ad denotandum, quod juramentum propriè dictum, debet esse actio, quâ Deus adducitur in testem veritatis affirmatæ; & hujusmodi actio, cùm locutio sit interna, meliùs dicitur actus intellectûs, ex imperio voluntatis elicitus (quidquid dicat in contrarium *Pontius*) quàm voluntatis, quia per illum intendimus Deum in testem vocare: dicitur *divini testimonij* ad denotandum, quòd nulla alia jurandi formula rationem juramenti habet, nisi illa, in qua Deus verus in testem invocatur; reliquæ particulæ adduntur, ut explicetur finis immediatus usûs juramenti, de quo postea. Interea

Adverte: Ad juramentum duo necessariò requiri: 1. intentionem faciendi Deum testem; 2. internam liberam locutionem quâ in testem vocetur. Jam

Requisita ad juramentum.

Objicies: qui his formulis, per fidem meam, fide Christiani boni, Sacerdotis, per Jovem, per librum, per lapidem, utuntur, jurant, & tamen illis formulis non invocatur in testem Deus: ergo malè juramentum descripsimus. ℞. cum Navarro cap: 12. n. 2. Negando antecedens, quia illis formulis, ut ordinariè accipiuntur, non juratur propriè loquendo, & sic non erit peccatum mortale, teste Lessio, falsum per Jovem jurare, vel per lapidem, nisi qui seriò intendat se obligare in conscientia simili juramento. *Respondere possit* 2. quòd istis formulis, quibus per creaturas

turas Dei juratur, invocetur ipse Deus, saltem indirectè, & sic negari potest antecéd:

Objicies 2. Juramentum sic descriptum non distinguitur ab oratione: ergo malè describitur. ℞. *Negando antecedens*: quia qui jurat non per modum orantis, sed potiùs per modum testantis, quando Deo placuerit, invocat divinum Numen; deinde juramentum adhibetur ad occurrendum fallibilitati humanæ; oratio verò ad sublevandam imbecillitatem humanam in quacunque alia materia.

Iurare laudabile est.

ASSERTIO II. Jurare in re vera, debitis cum circumstantijs, laudabile est, & honestum: *probatur*: tum quia in scriptura monemur sæpe ad sic jurandum. Devter: 6. *per nomen Domini jurabis.* Psal: 26. *laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Psal. 14 *qui jurat proximo suo, & non decipit.* tum etiam exemplo Pauli, qui Rom: 1. 1. Corint: 1. ad Gallat: 1. & Heb: 6. sæpe juravit; tum denique quia jurare debitis cum circumstantijs, est actus religionis, quâ adducitur Deus, qui potest perjurum punire quando vult, in testimonium veritatis: ergo.

Objicies 1. Matth: 5. dicitur: *ego autem dico vobis non jurare omninò*; ergo jurare non potest esse honestum. ℞. Christum tantùm voluisse insinuare juramentum non esse ex genere illorum, quæ per se bona sunt, & frequentanda, ut sunt jejunium, oratio, &c. sed quæ solùm bona censentur, urgente necessitate, ut sunt antidota, & medicamenta, unde dicere voluit non esse jurandum, nisi

urgen-

urgente necessitate; nam fieret Deo irreverentia, si vocaretur in testem, ad confirmandam rem parvi momenti. Hinc obiter

Nota: Juramentum ut sit licitum & honestum, tres requirere pedisequas, puta *veritatem, justitiam*, & *judicium*. ut colligitur ex illo Jeremiæ 4. *Iurabis, Vivit Dominus, in veritate, & justitia, & in judicio.* *Iuramenti socij.*

Iam adverte: Juramentum sic descriptum dividi in illud, quod fit per simplicem contestationem, & aliud quod fit per execrationem. Priori modo solus Deus ut testis vocatur, ut cùm dicitur, testor Deum; posteriori verò vocatur ut vindex perjurij; ut cùm dicitur peream, ita me Deus amet, mihi propitius sit, &c. Secundò universaliter dividitur, in *assertorium* & *promissorium*, primum adhibetur solùm, ut credatur aliquid quod aliter probare non possumus; ut cùm quis juret cras futuram pluviam; secundum verò, quando intendimus nos alteri obstringere, & confirmare nostram promissionem. Tertiò dividitur in *absolutum*; & *conditionale, dolosum, incautum*, & *coactum*, quorum explicatio obvia est apud authores. *Divisio Iuramenti.*

ASSERTIO III. Juramentum promissorium etiam liberè factum in sequentibus casibus non obligat; 1. si executio rei promissæ peccaminosa est. 2. quando promissio, cui additur juramentum, peccandi licentiam tribuit, aut est contra legem, vel bonum commune. *Casus in quibus Iuramentū non obligat.*

Prima pars patet: quia involvit contradictionem quempiam ad peccatum obligari; ergo

ergo nullus obligatur tali juramento. 2. *etiam pars patet*: à paritate rationis; unde qui latroni juramento se adstrinxit, quòd non vellet illum judici denunciare, non tenetur ad illud juramentum, nisi in casibus, in quibus monitio fraterna præmittenda est.

Eodem modo conclude de illo, qui juravit se indifferens aliquid facturum. v. g. non ambulaturum, non egressurum domo, vel facturũ aliquid, cujus omissio esset melius, nisi juramentum factum sit in favorem alterius, & *ratio est*, tum quia votum de tali re non obligat; ergo nec juramentum: tum quia juramentum factum in favorem alterius, non obligat, ipso nolente vel condonante debitum; ergo nec in favovem proprium factum obligabit, si is, qui juravit, mutavit propositum. Non obligat igitur juramentum factum de non dando eleemosynam; & sic de similibus discurre.

Iuramentum conditionatũ quando obligat.

ASSERTIO IV. Quando promissio de re bona tacitam habet conditionem vel restrictionem, sive ex mente loquentis, sive ex dispositione juris, aut receptâ consvetudine, juramentum illi additum non obligat, nisi positâ illâ conditione; est communis. & *probatur*: juramentum sequitur naturam actûs super quem cadit, nam ut Regula juris in 6.41. habet: *accessorium sequitur naturam sui principalis*; ergo si actus tacitam habet conditionem, juramentum illi oppositum eandem censetur habere; & consequenter non obligat conditione illâ non servatâ; Exemplo rem declaro: juràsti Petro servare pro-

promissa, subintelligitur tacitè, nisi ipse quod tibi promisit non servet, in tali casu non obligat juramentum? jurâsti puellæ, te illam ducturum, subintelligitur, nisi interveniat rationabile impedimentum, puta infamia aliqua, vel morbus incurabilis: jurâsti dicere in causa quidquid nôsti; intelligitur, nisi sit res occulta, quam sinè præjudicio tertiæ personæ revelare non possis. vide Panorm. in cap. *Clerseus* de jurejurando, & Sylvestrum hic quæst: 23.

Interea quares 1. quale peccatum est violare juramentum. ℞. si sit juramentum promissorium de re parvi momenti, v. g. de orando semper horâ primâ *Pater noster*, non esse nisi veniale; ita Navarrus, Sanchez, Suarez, & alij multi, contra Cajetanum, Vatuliam, Lessium, Pontium, & alios, & ratio est, tum quia secundùm omnes votum de re levi sub mortali non obligat; ergo nec juramentum promissorium; tum etiam quia levitas materiæ in alijs peccatis consideratur; ergo & in peccato perjurij considerari debet.

Iurare falsè non semper est mortale.

ASSERTIO V. Juramentum promissorium metu gravi extortum neminem in conscientia obligat, ita Panorm: in cap: *cùm contingat*: 28. n. 3. de jurejurando. Vincentius Mediolanensis, Alciatus, & Felinus, quibus favit inter multos alios D. Antoninus 2. parte tit: 10. cap: 6.

Iuramentum metu extortum neminem obligat.

Probatur: tum quia juramentum dolo elicitum non obligat secundùm omnes; ergo nec metu extortum; *Vis enim & dolus æquiparantur*; tum quia opposita sententia appe-

aperit viam latronibus ad multa mala perpetranda, nam si Petrus à latronibus invasus, metu mortis juravit se illis cessurum bona, non velle eos prodere, velle uni ex illis filiam in uxórem dare, &c. obligaretur illo juramento ad ea præstanda, quæ mortis metu promisit (possit absque peccato aliàs ea præstare) innocentes semper essent in periculo, nè à latronibus ad sic jurandum compellerentur, & malæ conscientiæ homines animarentur ad alios tali juramento constringendos. Tum etiam, quia juramentum ut obliget, debet esse liberum, sed vi extortum non esset tale; ergo vi extortum non obligat, maj: est certa, probatur min: tali juramento deest consensus (nihil enim tam contrarium est consensui, quàm vis & metus) ergo & libertas; tum denique quia promissio vi extorta arbitrio promittentis irritari potest; ergo & juramentum, quo promissio talis confirmatur. Adde quòd secundùm omnes votum gravi metu extortum non obligat; ergo nec juramentum.

Confirmatur hoc: secundùm D. Bonaventuram in 3. d. 39. & multos alios, qui juravit non animo implendi, sed evadendi periculum, v. g. injustæ incarcerationis, non tenetur illo juramento; sed metu coactus sic censetur semper jurare, ergo.

Objicies: Non licet Deum facere testem falsi; sed qui non observaret, quod juramento metu extorto promisit, faceret Deum testem falsi: ergo tenetur ad illud observandum. ℞. *conc: maj*: & negando min: nam juramentum

juramentum tale non est verum juramentum, quia non est absolutum & liberum; deest enim illi consensus liber, & ex natura rei includit hanc conditionem, juro quòd tibi dabo mille florenos, id est, si aliàs teneor. Si authoritas alicujus classici Doctoris, vel juris Canon, pro contraria sententia adduceretur, explicari debet, quòd nimirum juramentum tale obliget, in probabili sententia, quod nos non negamus; vel quod obliget, nisi fiat sine animo se obligandi; qui enim exterius jurat, sine animo jurandi & obligandi se, non obligatur vi juramenti coram Deo, quia non intendit Deum in testem citare, sed potiùs simulatè fingit se jurare, ut sic possit evadere injusta pericula. Imò probabilis satis est sententia, quæ docet post D. Bonaventuram, & alios multos à Sylvestro citatos, neminè vi juramenti promissorij præcisè obligari, qui jurat exteriùs tantùm, sinè animo se obligandi.

Restrictio mentalis licita.

ASSERTIO VI. Injustè coactus ad juramentum, vel aliàs justam & rationabilem habens causam, tacitâ restrictione mentali, vel oratione ambiguâ, celandi mentem suam, non peccat, etiamsi alieno sensu juret, hæc est probabilissima sententia, quam docet Sylvester, Angelus, Adrianus, major, Valentia, Toletus, & Lessius. In his & similibus casibus, v. g. reus non juridicè rogatus potest dicere, non feci; mente addendo, ut tibi dicam, vel in lecto. Non habui complices; id est, in alio crimine. Item veniens ex loco, qui putatur falsè infectus peste, potest custo-

dibus civitatum respondere, se inde non venire, addendo in mente, ubi contagio regnat, vel hodie.

Probatur jam conclusio, in jam assignatis, & similibus eventibus, non tenetur quis ad suum animum circa rem de qua interrogatur, aperire; ergo non peccat utendo restrictione mentali, vel oratione ambiguâ, quâ jus suum tuetur.

Dices: Ergo licitè in similibus casibus quis mentitur. ℞. Negando suppositum, quòd nimirum tunc mentiatur, quia non facit contra mentem: non intendit enim, utens restrictione mentali, ut illud, quod exteriùs profert, habeat verum sensum, nisi in quantum conjungitur cum altera sermonis sui parte, quam tacitè in mente addit; talem autem conjunctionem sermonis externi cum interno licitè posse fieri. *Probatur*, tum ex D. Gregorio hom: 1. in Ezech: qui dicit Prophetam connectere orationem externam cum interna, dum ait: *& factum est, &c.* tum ex script: Gen: 17. *ego sum primogenitus tuus Esau.* id est: jure & privilegio. Joan: 7. *ego autem non ascendam ad diem festum hunc.* id est manifestè: ergo conjungendo externũ sensum cum interno, licet uti subinde restrictione menteli.

Quid sit adjuratio. *Quares* 1. quid sit adjuratio? ℞. quòd sit contestatio rei sacræ ad promovendum aliquem ad aliquid faciendum; & hoc duobus modis fieri potest: præcipiendo scilicet, quo modo 2. ad Timot: 4. Paulus adjurat, dum ait: *testificor coram Deo, &c.* & de-

pre-

precando, quo modo nos, dum oramus per Christum, petimus exaudiri.

Quares 2. quid sit pejurium. R. quòd sit actus, quo quis sciens, & volens, falsum confirmat. generaliter autem pejurium dici potest omne juramentum, cui ex tribus his comitibus, *justitia* scilicet, *judicio*, & *Veritate*, aliquis deest. *Quid sit pejurium.*

Pro sequentium intelligentia adverte: Vitia Religioni opposita, alia esse per excessum cultûs, & hæc superstitiones vocantur; alia per defectum & contemptum divini cultûs, & hæc pejurium, tentatio Dei, simonia, sacrilegium, &c. vocantur, de quibus breviter. *Vitia Religioni opposita.*

ASSERTIO VII. Superstitio rectè describitur, vitiosus cultus veri vel falsi Numinis. hæc est communis & bona. Superstitio sic descripta alia est, quâ perversè verum Numen colitur; alia quâ falsum Numen. Verum Numen superstitiosè varijs modis coli potest, & primò excessivè; non quòd Deus possit majori cultu, quàm dignus sit coli; sed quia in illius cultu assumuntur ea, quæ ad illum honorandum non sunt idonea: sicut assumunt, qui cæremonijs Iudaicis denotantibus Messiam nondum venisse, Colunt illum: vel falsis miraculis, & signis Christi doctrinam confirmare vellent: vel Sacramenti Eucharistiæ, sicut hæretici in sua cœna faciunt, exhibitione. *Superstitio definitur.*

Cultus falsi Numinis dividitur in Idololatriam, divinationem, & observantiam superstitiosam. Idololatria est cultus, quo quis aliquid creatum colit eo cultu, qui soli Deo con- *Quotuplex sit falsi numinis cultus.*

convenit; & hoc vitio peccant gravissimè cultores Dæmonum, Solis, Lunæ, & similium falsorum Deorum, quia honorem divinum transferunt in creaturam. *Ninus* fuit primus qui Idolum erexit, quo, ut defunctus illius parens Belus pro Deo, à domesticis coleretur, voluit: & hoc solo modo, quo creatura colitur loco Dei, & non illo quo nos verum Deum, & Divos per imagines colimus (quidquid dicant in contrarium Hæretici nostri sæculi) vera committitur Idolatria.

Quid sit divinatio. ASSERTIO VIII. Divinatio ut ad propositum facit, est actus, quo quis auxilio, & directione dæmonis, inquirit de occulto aliquo, quod humano modo cognoscere non valet. *Divinatio* sic descripta, alia est quæ fit per expressam dæmonis invocationem; alia verò, quæ fit interveniente tacitâ aliquâ illius invocatione; & hoc varijs modis fit, de quibus, sicut de tribus speciebus divinationis, *Necromantia* scilicet, *augurio*, & *sortilegio*; vide eruditum Patris Martini Delrionis opus. Interea

Dæmon varijs modis consuli potest. *Adverte*: Dæmonem posse primò consuli per sacrificia animalium; & tunc respondit per signa apparentia in extis eorundem; & hæc divinatio vocatur *Haruspicium*. 2. per preces in Idolis & tunc respondit per Idola, & vocatur *oraculum*. 3. in suis Prophetis, qui vocantur *pythonici*, & *pythonissæ*, teste Origene, & tunc respondit per umbilicum, vel pudenda illorum (dignum sanè os tali numine) 4. per mortuorum apparentem suscitationem, & vocatur *necromantia*; ali-

quan-

quando per ſtatuas & figuras externas, quæ ſi conſpiciantur in metallo, lapide, vel planta, vocatur *Geomantia*. ſi in aqua, *hydromantia*; ſi in aëre, *aëromantia*; ſi in igne, *pyromantia*; his adde divinationes, quæ fiunt per cribrum, vel pelvem aquâ plenam, quibus invocari ſolet dæmon, non ſinè mortifera offenſione divinæ Majeſtatis: unde mortiferè peccat, qui jam dictis modis dæmonem conſulit; ſocietatem enim cum profeſſo Dei hoſte, ſinè gravi numinis offenſione, inire quis poſſit?

Quæres: An prædictiones aſtrologicæ ſint prohibitæ? pro reſolutione *adverte*, Aſtrologiam aliam eſſe naturalem, quæ tractat de aſtrorum, & maximè planetarum ortu, occaſu, & mutationibus varijs; aliam verò judiciariam, quæ de futuris eventibus à libero arbitrio dependentibus tractat, ut de conditione vitæ, matrimonijs, honoribus, opibus, morte, & hujusmodi humanis caſibus, quorum aſtra cauſa eſſe non poſſunt. Nunc ad quæſitum ℞. & ſit:

ASSERTIO IX. Aſtrologia naturalis, quamvis incerta, & parùm utilis ſit, illicita tamen non eſt; Aſtrologiæ verò judiciariæ uſus malus eſt, & ſub mortali peccato meritò prohibitus. & quòd Aſtrologia naturalis incerta ſit, *probatur*, tum quia dependet à perfecta cognitione propriarum virtutum aſtrorum omnium, quæ humanum facilè ſuperat captum; tum etiam quia ex experientâ conſtat, Mathematicos, qui quotannis per Calendaria ſuas obſervationes

Aſtrologia naturalis uſus illicitus non eſt, bene tamen aſtrologiæ judiciariæ

promulgant, rarò quæ vera sunt prædicere; sed hoc non contingeret, si ars illa certa esset: ergo. Quòd verò illicita non sit, *Probatur*, quia tantū investigat effectus naturaliter procedentes à causis naturalibus; sed hoc non est prohibitum; ergo nec Astrologia naturalis.

Probatur 3. *pars*, tum ex dictis in libris de cœlo & mundo: tum ex script: Deuter. 18. & Ieremiæ 10. *à signis*, inquit, *cæli nolite timere, &c.* tum etiam ex utroque Iure; nam in L. *nemo*, & L. *etsi* de maleficis, & mathematicis, Astrologi judiciarij eadem lege puniri debent, quà Nicromantici; & cap: ultimo CC. Tolet: anathematizantur, qui credunt Astrologis (intellige judiciarijs, quorum artis fundamentum est, dari *fatuum*, id est, immutabilem omnium eventuum dispositionem, dependentem à stellis) tum denique ratione. Astrologia illa docet, humanas omnes actiones à siderum influentia pendere; sed hoc est hæreticum, quia tolleret libertatem; ergo. *Nec valet dicere*, quòd hujus artis discipuli prædicunt frequenter vera, non valet inquam; quia qui multa blaterant, subinde quæ vera sunt, proferunt; sicut cæcus lapide subinde tangit pomum; & sic non est illis major fides adhibenda, quàm illi qui diceret, quòd cæcus videat. Deinde diabolus, ut homines in pestifera tali opinione confirmare possit, dat operam, ut eveniant, quæ sic prædicuntur, teste August: loco jam suprà citato; ergo non ex natura rerum, sic ab Astrologis prædicta; eveniunt.

ASSERTIO X. Ex motu, vocibus, vo-

volitu avium, & aliorum animalium, multa divinare prohibitum non est. *Probatur: experientiâ*, quâ constat ejusmodi signis, tempestates, pluvias, & serenitates à multis cognosci; & ratio est, quia mutatio, quæ fit in corporibus cœlestibus, operatur diversimodè in corporibus animalium; unde nunc ad cantum v. g. apprehensâ per phantasiam illâ mutatione, nunc ad dimissè volandum excitantur, & disponuntur aviculæ. *At velle liberas* hominum actiones cognoscere, & prædicere, ex avium garritu, vanum est & superstitiosum, ac sub gravi culpa prohibitum: nisi ex nugis aliquis talia prædiceret. qualis quæso conjunctio garritûs picæ cum adventu hospitum? In hoc Olomucensi Conventu (ubi Guardianum ago) singulis diebus pica garrit à prima Septembris, usque in hodiernam diem, quæ est 28. Octob: 1663. & tamen non semper veniunt hospites; vanæ igitur hujusmodi observantiæ, sicut & illæ quibus ex somnijs vetulæ multa colligunt, negligendæ, & sub gravi culpa spernendæ sunt. Subtilis est diabolus, & sic per parvas rimas penetrat, ad nos decipiendos.

Quibus modis divinetur.

De vanis observationibus lege Aug: lib: 2 de doctr: Christ: cap. 20. ubi tres species vanarum observationum assignat, quarum prima est *Ars notoria*, quæ est illa, quâ quis per vana quædam adminicula, puta per jejunia, inspectiones figurarum, &c. consequi vult scientiam infusam. Secunda, *Observantia sanitatum*, quæ fit, dum adhibentur verba aliqua, signa, vel cæremoniæ inanes, ad ho-

minum vel animalium curandos morbos, conservandam vitam, & valetudinem. Tertia est, *observantia eventuum*, & fit, dum aliquis ex inopinato occursu hujus, vel illius objecti, aut fortuito casu, mutat suum propositum; ut si quis manè exiens domo, pedem allidit ad lapidem, ideóque ut malum omen evertat, domum redeat: aut sic egrediens, si occurrat Virgo, se spe frustrari putet, si verò meretrix, prosperum fore iter existimet. Hujusmodi vanæ observationes rarò, credo, sunt mortalia peccata, quia homines in similibus nihil mali apprehendunt. Pro intelligentia sequentium

Magia duplex est. *Adverte*: Magiam aliam esse naturalem, & est ratio quædam operandi mira per causas naturales, absque dæmonis auxilio; aliam verò superstitiosam, & est ratio operandi mira ope dæmonis, teste August: lib: 8. de civit: cap: 19. *omnia*, inquit, *miracula magorum doctrinis fiunt, & operibus dæmonum*.

Magia hæc superstitiosa alia est, quæ refertur ad ostentationem, & commodum proprium, vocatúrque simpliciter *magia*; alia verò, quæ ordinatur ad noxam alteri inferendam, dicitúrque *maleficium*, vel *veneficium*; his notatis sit:

Superstitionis magicæ effectus. ASSERTIO XI. Perniciosâ hac superstitione magicâ sagæ transferuntur de loco in locum, corpora transformantur, grandines, imbres & tempestates excitantur; hæc communior est, & verior sententia.

Probatur prima pars: Scilicet quòd sit perniciosa, quòd ope dæmonum fit, falláque suppo-

ſupponit fundamenta, pernicioſa dici poteſt; ſed magia eſt talis; ergo. major eſt certa, minor probatur, de ope dæmonum, tum ex Divo Aug: jam citato, & alibi ſæpe; tum etiam ratione, quia miracula magorum excedunt vires humanas; ergo ope dæmonum fiunt.

Probatur ſecunda pars, Magia illa ſupponit ſingulas mundi partes, animatas eſſe animâ intelligente; ſed hoc eſt falſum; ergo. probatur min: tum ex dictis in lib: de cœlo & mundo, tum etiam ex 5. Synodo Conſt: ubi anathematizantur omnes, qui docent cœlum & Solem, lunam & ſtellas, & aquas animatas quasdam, & materiales virtutes eſſe: tum denique reijciendo rationes magorum; in lib: de cœlo & mundo; ergo.

Probatur 3. pars experientijs varijs, quibus conſtat ſagas fuiſſe translatas ſubitò de loco in locum, & quoad extrinſecam ſaltèm figuram, mutatas in lupos, feles, & lepores, &c. ut videre eſt apud Delrium.

Rem referam, quam ipſe oculis meis vidi, dum enim circa annum 14. meæ ætatis, D. Florentij Bruodini Dñi de Moyneo, mei Patrui, in domo fuiſſem; & nobilium noſtrarum partium juvenum more, 1. Maij in aurora (illá die ſpecialiter in lacte & butyro ſagæ ſolent nocere, ſéque transformare) cum primogenito præfati Domini, (poſtea Franciſcanus fuit, Bonaventura Bruodinus dictus, ſed brevi, abſoluto ſtudio, conſummatus, Compluti in Hiſpania, non ſinè ſanctitatis fama, anno 1643, explevit tempora multa)

assumptis canibus venaticis sagam (sic apud nos illâ die lepus vocatur) investigarem, illis in locis, in quibus vaccæ pascebantur; ecce repentè à famulis videtur lepus unius vaccæ ubera sugens, qui audito clamore, fugæ se commisit: insequuntur canes, aliàs optimi, sed non assequuntur, antequam ad vicinum se retraxisset pagum (urgebat enim illum multitudo canum, quâ illi omnis alia via aufugiendi præcludebatur) ubi videns periculum, intravit quandam domunculam per fenestrellam, ex qua tam citò se extricare non poterat, quin ab uno ex canibus in clunibus morderetur taliter, quòd pars pellis, simul cum cauda, in canis ore remaneret; superveniunt famuli, & canum circa domunculam latratus considerantes, pellisque leporinæ particulam videntes, vi aperiunt ostium: ubi sordidam unam solam deprehenderunt vetulam, natione Scotam, quam vel invitam examinârunt; vulneratámque non leviter (prout nobis dixerunt) retrò deprehenderunt,& ad veritatem de sua in leporem transformatione dicendam compulerunt.

Transformatio vetulæ in leporem.

Qui hoc vidit, quomodo negare potest, veram fuisse metamorphosem jam dictæ vetulæ in leporem; lege nostrum Alphonsum de Castro lib: 1. de justa hæreticorum punitione, cap: 16. & videbis dæmonum auxilio & potentiâ, *cui nulla in terris potestas comparari potest* (teste Iob: cap: 11.) hæc & mirabiliora fieri posse. Itaque possunt transformare corpora, tempestates causare, infer-

re

re morbos, omnésque curare, eruere thesauros, reddere homines invisibiles, &c.

De remedijs adversus maleficia, lege nostrum à Castro jam citatum, Antonium Hiquæum in 4. d. 34. q. unica. n. 5. 6. & 7. & Antonium Andream ibidem, qui docent maleficia frequenter curari susceptione Sacramentorum, Orationibus Sanctorum, fide & fiduciâ magnâ in Deum, exorcismis, aquâ benedictâ, reliquijs Sanctorum, invocatione SS. nominis Iesv, & similibus. sed difficultas est an liceat tollere signa malefica à sagis posita, eo fine, ut malus spiritus desinat nocere. *Remedia adversus maleficia.*

Doctor noster in 4. d. 34. n. 4. hanc difficultatem trufaticam vocat, id est inanem: unde respondet affirmativè. Doctorem sequitur ipsius commentator Antonius Hiquæus ibidem, aliique Scotistæ, meliorísque notæ aliarum Scholarum Doctores ab eodem Hiquæo n. 5. citati, contra Joannem Hesselt. *Licet tollere signa malefica.*

Probatur: Destruere opera diaboli licitè & meritoriè quis potest, sed animo liberandi me, vel alium à vexatione, tollendo è medio signa maleficorum, destruo opera diaboli; ergo licitè & meritoriè hoc possum.

Confirmatur, tum quia per talem amotionem non intendo dæmonem invocare, sed potiùs ipsius invocationem per magum illo signo factam impedire & dissolvere; ergo amotio talis signi mala esse non potest: tum etiam quia omni possibili modo possum impedire illum, qui verbis vellet allicere dæmonem, ut mihi vel alteri noceat; ergo similiter licitè possum tollere signa, quibus magus

magus diabolum allicit, ut mihi vel alteri noceat.

Signa maleficiorum. *Signa hæc à malefic. u posita*, solent esse varia, puta acus incurvata, sera clausa, (hoc signo utuntur sagæ, ut hominem impotentem faciant) &c. *Amitam habui Phinolam* de Higgen, natam Bruodinam nomine, quæ Viro nobilitate; & potentiâ claro, Domino Thadæo de Higgen nupta erat, in Comitatu de Sligo (Sligo est totius Provinciæ Conatiæ in Hibernia, primus & principalis Comitatus, circulus, seu Districtus) hæc operâ sagarum, magorúmque, sex continuis septimanis lamentabili laboravit, (rem certam narro) dolore partûs, (miraculosè cum prole conservata est, uti conjecturare possum) tandem uni ex ipsius intimis famulis innotuit, ex relatione unius vetulæ (complicis forte sagarum, quæ innocentissimæ meæ amitæ mortem procurare volebant) quòd parere non posset, nisi prius proximum prædium ipsius, in quo pro malefico signo ovum absconditum erat, succenderetur; famulus Dominæ rem retulit, quæ mandavit, ut prædium succenderet; quo facto, prædio, ovóque in cinerem redactis, statim enixa est filium suum primogenitum, Bernardum de Higgen nomine, qui postea Augustinianus fuit, & in Hispania mortuus. *An quaso,* Theologi mereretur nomen, qui auderet dicere illi nobilissimæ Dominæ, non licuisse succendere suum prædium, ut tollendo maleficum signum, se, suámque prolem indemnem conservaret? lege Hiquæum jam suprà citatum,

tum, & P. Delrium lib: 4. de magia. Interea pro complemento hujus tractatûs

Adverte, Irreligiositatem; quæ religioni per defectum opponitur, dividi, in tentationem Dei, sacrilegium, perjurium, & blasphemiam, de quibus breviter.

ASSERTIO XII. Tentatio Dei est actus, quo quis nullâ rationabili interveniente causâ, aliquid facit, ad capiendum experimentum attributorum Dei. hæc est communis & bona, quia nulla conditio bonæ descriptionis illi deest; unde de ea aliud non occurrit dicendum, nisi ut *advertas*, hujusmodi tentationem, quâ fit irreverentia magna Deo, varijs modis fieri posse: 1. ut cùm quis omittens causarum naturalium applicationem, vellet probare, an Deus omnipotens esset, & sic præcipitaret se ex turri, ut videret, an miraculosè Deus vellet illum illæsum conservare. 2. si quis sine speciali instinctu, vellet se purgare ab aliquo crimine ferro candente, aquâ bulliente, &c. petens à Deo ut miraculosè, ad suam innocentiam ostendendam, impediatur naturalis operatio candentis ferri, & aquæ bullientis. 3. si quis sperando miraculum, duello se purgare vellet &c.

Quid sit tentatio Dei, & quibus modis fit.

Dixi in conclusione *nullâ rationabili* &c. quia justa ex causa à Deo petere miraculum non est prohibitum, ut si infidelis bonâ mente peteret miraculum, ut sic possit scire, num Christi doctrina sit vera.

ASSERTIO XIII. Sacrilegium rectè describitur: actus quo Deo, in indigna tra-

Quid sit sacrilegium.

tractione rei ſacræ injuria fit & irreverentia: hæc re ipsâ communis eſt,& non habet aliam difficultatem, niſi ut *advertas*; per rem ſacram hic intelligi illam, quæ cultui divino, peculiari aliquo modo dicata eſt, ut ſunt viri Eccleſiaſtici, & fæminæ Deo, per ſolemne caſtitatis votum conſecratæ, templa & ſimilia loca conſecrata, réſque aliæ divino cultui ordinatæ; & juxta hæc, ſacrilegium dividi poteſt in tres ſpecies, quarum prima eſt illa, quâ violatur perſona 2, quâ locus. 3, quâ res aliæ, de quibus fusè agunt Caſiſtæ.

Ad primam ſpeciem pertinet non ſolùm percuſſio Eccleſiaſtici, ſed etiam fornicatio perſonæ Deo, per caſtitatis votum conſecratæ, ejúſque ad tribunal ſæculare pertractio. Ad ſecundam ſpeciem reducuntur ea, quæ contra loci ſanctitatem fiunt, ut incendium templi, everſio altaris, injuſta ſanguinis & ſeminis in tali loco effuſio, ſepultura excommunicati, violenta extractio perſonæ, privilegio immunitatis loci frui volentis, (hoc frui nequeunt publicus latro, nocturnus populator agrorum, enorme crimen in ipſo loco fiduciâ Aſyli committens) & furtum etiam rei non ſacræ in loco ſacro. Ad tertiam ſpeciem ſpectant: abuſio Sacramentorum, adminiſtratio, & perceptio illorum in ſtatu mortalis peccati; abuſio vel violatio, indigna tractio, vel furtum ſacratum rerum, ut ſunt calices, caſulæ, reliquiæ Sanctorum, &c. de quibus lege Sylveſtrum, & Navarrum, cap. 27. ubi de pœnis ſacrilegorum doctè agit. Interea ſit

ASSER-

ASSERTIO XIV. Blasphemia est locutio, quâ quis cogitatione deliberatâ, verbo, vel scripto, contra Deum vel Sanctos aliquid contumeliosum profert; hæc re ipsâ est Navarri cap: 12. n. 81. & aliâ non indiget declaratione, nisi ut *advertas*; per contumeliam intelligi signum quodcunque, vel factum, quo honori alterius derogatur. *Quid sit blasphemia?*

Quares? an blasphemant, qui vulgari, inter milites, & Italos, hoc jurandi modo loquuntur; corpo di dio, sangue di dio: R/. cũ Navarro negativè, quia affirmant de Deo quod illi per communicationem idiomatum competit. peccant tamen graviter illis locutionibus, & blasphemare possunt, si indicare vellent Deo per se competere, habere caput, sanguinem vel corpus, quod vix puto.

EPISTILIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ III.

An maximè defectuosus possit dici bonus Religiosus?



COLVMNA IV.
De Indulgentijs.

ASSERTIO I. Indulgentia benè describitur: Remissio pœnæ temporalis, remissâ culpâ, remanentis, extra Sacramentum, sacrificium, & martyrium, per applicationem superabundantis satisfactionis *Indulgentia describitur.*

Chri-

Christi & Sactorum. *Hac re ipsâ communis est* & bona, quia habet requisita ad bonam descriptionem, ut ex sequentibus patebit.

Thesaurus Ecclesiæ. ASSERTIO II. Est in Ecclesia thesaurus, Christi Sanctorúmque, ex meritis & satisfactionibus aggregatus, sicut & potestas ad illum distribuendum inter fideles, etiam extra Sacramentum, & sacrificium. Hæc est omnium Catholicorum, contra hæreticos nostri temporis, éstque re ipsâ de fide, definita in varijs concilijs, & novissimè in Trident: Sess: 25. in decreto de Indulgentijs.

Probatur 1 *pars:* Christi meritoria, simul & satisfactoria opera, tanti sunt valoris, ut exhauriri non possint secundùm ipsos Lutheranos: sed opera illa sic considerata, data sunt Ecclesiæ simul cum ipso Christo, ut colligitur ex Scriptura, Joan: 3. ad Galat: 1. & Isa: 9. & in ea per modum thesauri, simul cum superabundantibus B: V. aliorúmque multorum Sanctorum meritis, & satisfactorijs operibus adhuc sunt: ergo in Ecclesia est thesaurus aggregatus ex illis operibus.

Probatur 2. *pars:* Quia frustra Christus se, suáque ac Sanctorum satisfactoria opera Ecclesiæ committeret per modum thesauri, nisi in ea esset potestas distribuendi illum thesaurum inter fideles: ergo est: tum etiam quia quivis in particulari potest opera sua satisfactoria alteri applicare; ut adversarij fatentur: ergo & Ecclesia potest bona illa communia, in ejus thesauro abscondita, prout necessitas exigit, distribuere.

Probatur jam 3. *pars:* Tum ex Constant: Sess:

Sess: 8. & Trid. loco jam citato, ubi definitur de fide; tum quia Apost: 2. Cor. 2. extra Sacramentum & Sacrificium, remisit Corinthio incestuoso ex parte pœnas quas persolvere debebat: ergo & Ecclesia idem potest facere per applicationem indulgentiarum. tum quia in primitiva Ecclesia, ut docent Tertullianus & Cyprianus, extra Sacramentum collatæ sunt indulgentiæ: ergo. tum etiam quia usus indulgentiarum ita est antiquus, quòd non sciatur, quis fuerit primus, qui indulgentias contulit; (constat enim Romanos Pontifices S. Gregorium circa annum 600. Leonem III. circa annum 800. & Sergium II. circa annum 844. concessisse indulgentias) ergo signum est potestatem illam in Apostolica fundari traditione: juxta illud August: lib. 4. contra Donatistas, cap: 24. *quod*, inquit, *universa tenet Ecclesia, & nullum initium extat, credendum est, ex Apostolica traditione descendere*: ergo.

Indulgentiarum usus antiquus est.

Confirmatur, & simul *probatur hæc ultima pars* 2. Christus dedit potestatem Petro & ejus Successoribus, Matth. 16. & Joan. 21. aperiendi cœlum per amotionem impedimentorum, quæ vel absolutè, vel ad tempus possent cœlum claudere, sed pœna temporalis, quæ remissâ culpâ solvenda subinde manet, est impedimentum ad tempus, quo clauditur janua cœli; ergo Petro, ejúsque Successoribus data est facultas, amovendi illam pœnam per indulgentias.

Objicies contra primam partem: Solius Christi merita sunt sufficientia; ergo San-

 cto-

ctorum satisfactiones sunt superfluæ. ℞. Negando consequentiam, & ratio patet ex dictis Col: 1. A. 11. P. 16. 17. 18. & 19.

Objicies 2. Thesaurus Ecclesiæ secundùm Clementem VI. in suo extravagante exhauriri non potest, sed Sanctorum merita exhauriri possunt; ergo non ingrediuntur illum thesaurum. ℞. distinguendo maj: in quantum fundatur in satisfactionibus Christi concedo maj; in Sanctorum meritis nego maj: & concessâ min. nego conseq: ℞. 2. conce maj. & dist. min. possunt exhauriri simpliciter & absolutè conc: min: moraliter loquendo (quotidie enim nova, & nova merita superadduntur) nego min: & consequ: & hoc est, quod voluit Pontifex.

Objicies 3. Ignoratur ubi est repositus thesaurus ille, ergo admitti non debet. ℞. Negando antecedens: est enim repositus in acceptatione divina, quâ Deus decrevit illas satisfactiones à Summo Pontifice distributas, accipere pro satisfactione pœnarum temporalium.

Indulgentiarum concessio actus est jurisdictionis.

ASSERTIO III. Concessio Indulgentiarum vivis, non ordinis, sed jurisdictionis actus est. *probatur* 1. *pars*: quia non ordinatis, ut sunt multi Cardinales, conceditur facultas conferendi indulgentias; ergo collatio illa non est actus ordinis.

Probatur 2. *pars*: tum quia dans indulgentias vivis in jure dicitur *Iudex*, qui à pœnis absolvit; unde *jura* indulgentias vivorum absolutionem, & mortuorum suffragia vocant; ergo concessio illa, jurisdictionis actus

actus meritò dicitur, præsertim cùm indulgentiæ concedi non possint, nisi piâ & justâ ex causâ.

Objicies: Papa dat sibi indulgentias, & tamen in se non habet jurisdictionem; ergo. ℞. distinguendo antecedens, pro secunda parte, in se ut homo est, non habet jurisdictionem ut Papa est, nego antecedens: non habet ut purus homo est, conc. antecedens & nego consequ. Si enim sæcularis Princeps gaudet privilegijs communibus & à se concessis, cur non etiam & Papa, Christi Vicarius, & Princeps Regum terræ?

Dixi 2do: quia indulgentia mortuorum est mera solutio tantùm pretij; & non absolutio; defuncti enim nec Pontifici subditi, nec de ovibus ipsi commissis sunt; & sic sicuti illos ligandi potestatem non habet, nec etiam juridicè absolvendi habebit; bene tamen potestatem habet illos juvandi per modum suffragij, & hoc modo indulgentiæ prosunt animabus purgatorij; quia nimirum Pontifex (qui in hac materia non prodigus, sed fidelis, & discretus dispensator est, & esse debet) dat facultatem viventibus, ut possint applicare thesaurum Ecclesiæ animabus purgatorij, æquè ac sibi ipsis.

Quæres 1. Utrùm translato festo, transferatur etiam & indulgentia illâ die concessa; hoc est dicere, an si festum S. Antonij nostri Paduani v. g. transferri deberet in sequentem diem, plenariæ indulgentiæ à Pontificibus in Ecclesijs nostris illâ die concessæ, transferantur similiter in illam diem, quâ fe- *Indulgentiæ transferuntur translato festo.*

ſtum ipſum celebrabitur? Non memini me legiſſe ullum authorem, qui de hoc dubio ageret, ſic pro illius diſcuſſione

Adverte: Feſta duobus modis transferri ſolere. 1. juxta Breviarij Romani præſcriptum, in rubricis de translatione, & occurrentia feſtorum. 2. ſic ut ſolemnitas authoritate, vel diſſimulatione Epiſcopali, transferatur in proximam ſequentem Dominicam, v. g. quâ major populi concurſus, aut Principum vel Magnatorum præſentia ſperari poteſt; prout Pragæ fieri vidi aliquoties, & præſertim anno 1655. quo hic fuit immortalis memoriæ digniſſimus, Ferdinandus III. cum tota Aula, coronaretúrque in Regem fertiliſſimi hujus regni Bohemiæ, orbis delicium, LEOPOLDVS I. Rom: Imp: ſemper Auguſtus; Patres enim Dominicani, feſtum glorioſi S. Dominici, quod in Sabbatum illo anno incidit, in ſequentem diem Dominicam, quâ feſtum B. V. ad Nives incidit, (propriâne, an Archiepiſcopali authoritate, neſcio) tranſtulerunt, ut Cæſaris, & Aulæ præſentiâ, quâ Sabbato frui non poterant, die Dominico gaudere poſſent. Jam ad quæſitum.

Ratio partis affirmativa. *Reſpondeo cum diſtinct*: Si translatio illa feſti fiat priori modo, hoc eſt, juxta rubricarum Breviarij Romani præſcriptum, dico quòd omninò indulgentiæ etiam transferantur in illam diem, quâ feſtum celebrabitur: ſi verò poſteriori modo fiat, exiſtimo quòd indulgentiæ non transferantur, & conſequenter quòd populus privetur ſpirituali indul-

dulgentiarum lucro, si omissâ die, quâ festum cadit, illâ die, in quam solemnitas transfertur, primò peragunt, quæ ad lucrandas indulgentias alias requiruntur.

Moveor ad affirmativam primæ partis: tum quia Ecclesia concedit indulgentias in festo S. Antonij, v. g. ut glorificetur Deus in Sancto illo, & sic populus, beneficio indulgentiarum, incitetur magis & magis, ad Deum laudandum, Sanctúmque honorandum: ergo cùm ex matris Ecclesiæ ordinatione, festum illud transfertur in aliam diem, censendum est, quòd intendat etiam, ut indulgentiæ in illam transferantur; tum etiam, quia *favores sunt ampliandi*, ut habet reg: juris in 6. ergo cùm indulgentiæ concessæ sint principaliter in favorem Sancti, censendum est, quòd Pontifex intendat eas transferri, quoties ipsum festum est transferendum, Pontificiâ authoritate.

Dices: Translato festo non transfertur festivitas fori; ergo nec indulgentiæ à paritate. ℞. Negando consequ: & disparitas est, quia cùm multa absque hoc sint fori festa, quibus pauperes præsertim, qui labore manuum vivere debent, non parum aggraventur, sic Ecclesia, quæ mater est, non vult eos aggravare magis multiplicando festivitates per translationẽ unius in aliam diem; secus de indulgẽtijs dicendum est, nam ex illis sinè gravamine quivis commodum ferre potest; & sic dicendum est, quòd transferantur translato festo, quamvis fori festivitas non transferatur.

Moveor ad negativam secundæ partis: tum

Ratio partis negativæ. tum quia translatio solemnitatis non fit authoritate Papæ, qui indulgentias concessit; ergo translatâ solemnitate non transferuntur indulgentiæ: tum etiam quia (ut suppono) re ipsâ festum S. Dominici v. g. celebratur ipsâ die quâ cadit; ergo indulgentiæ concessæ illi diei soli, quâ festum cadit, & celebrari potest, ad alias subsequentes dies extendi non possunt: tum deniq; quia talis festorum & solemnitatum translatio est frequenter in præjudicium tertij; sicut fuit nostræ huic Ecclesiæ B. V. ad Nives præjudiciosa jam dicta translatio solemnitatis S. Dominici (Cæsar enim, qui cum Rege & Archiduce, prout dixit, ad nos veniret, si prævidisset futurum illâ die patrocinium nostri templi, præventus à Dominicanis, venire manè non poterat) ergo non est credendum Pontificem velle, ut factâ tali solemnitatis translatione, transferantur indulgentiæ.

Conditiones requisitæ ad lucrandas Indulgentias. *Quæres* 2. quænam requiruntur conditiones, ut quis possit lucrari indulgentias. ℟. plures requiri. 1. debet esse baptizatus, quia thesaurus Ecclesiæ actu saltem juridico dispensari non debet, nisi illius membris. 2. debet esse subditus concedentis. 3. debet habere pœnas persolvendas. 4. debet integrè omnia complere, quæ in Bulla concedentis requiruntur; unde quamvis in gratia sit, adhuc existimo, quòd confiteri debeat, si conditio illa in Bulla exprimitur, quia indulgentiæ intelligendæ sunt prout sonant. 5. non esse ligatus excommunicatione majori, quia hæc privat hominem communione bonorum

norum

norum spiritualium. 6. ut sit in gratia, saltèm quando præscriptum in Bulla opus completur. Lege Casistas, & inter Doctores, Hiquæum & Suares, qui de hac materia fusè, & doctè agunt.

Quæres 3. Quomodo Indulgentiæ plenariæ differant à Jubilæo? ℞. quòd in hoc, quia tempore Jubilæi libera electio Confessarij datur, sicut & potestas absolvendi à reservatis, & censuris, nec non dispensandi in votis plerisque. Indulgentia autem plenaria non gaudet istis privilegijs, quia tantùm liberat hominem ab obligatione satisfaciendi, pœnitentiæ sibi à Confessario vel sacris Canonibus impositæ, & à pœnis, quas in Purgatorio aliàs pati deberet.

Differentia Indulgentiarum Iubilæi à plenarijs.

Et cùm de Jubilæo sermo nobis incidit, hęc circa illud observanda occurrunt. 1. durante anno Jubilæi seu Sancto, in Urbe, alias omnes indulgentias plenarias, quoad vivos, in toto orbe terrarum suspendi, exceptis illis à Christo Domino oretenus, ad instantiam Seraphici Patris nostri S. Francisci, concessis omnibus fidelibus, visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Angelorum penes Assysium, quæ alijs Portiuncula, seu portio parva (multò enim minor est domo Lauretanâ) à S. Patre dicta est. Quòd verò prædictæ indulgentiæ non suspendantur inde patet, quia Pontifices tempore Jubilæi non suspendunt, nisi quas ipsi, vel eorum prædecessores concesserunt indulgentias; sed illas Portiunculæ non concesserunt, sed tantùm jam à Christo in perpetuum concessas, approbârunt, & confir-

Tempore Iubilæi non suspēduntur Indulgentiæ Portiunculæ.

mârunt, & sic in generali suspensione omnium indulgentiarum, indulgentias illas Portiunculæ non suspendunt.

Hoc autem intelligo de sola illa Ecclesiola SS. MARIÆ Angelorum penes Assysium; nam cùm ex concessione Summorum Pontificum Indulgentiæ illæ extendantur ad alias omnes Franciscanorum Ecclesias, & non vi concessionis Christi, sic tempore Jubilæi, suspensis alijs indulgentijs omnibus, suspenduntur & indulgentiæ Portiunculæ respectivè ad nostras alias omnes Ecclesias.

Secundò: Observandum est indulgentias Jubilæi lucrari posse ab uno, toties scilicet, quoties satisfacit requisitis in Bulla, ut declaravit Vrbanus VIII. loquendo de anno sancto. Hæc de indulgentijs.

Explicatis ijs, quæ de indulgentijs occurrebant difficultatibus, non abs re erit de Purgatorio aliquid subjungere, & cùm præcipuè difficultas sit in ostendendo, quod detur locus aliquis, qui Purgatorium dici potest, & debet, sic de eo primò agemus.

Hæretici Purgatorium dari negant. *Lutherani*, aliique omnes pestiferæ sectæ nostri temporis, Purgatorium ut novum inventum cujusdam Odilonis Abbatis, Anno 1058. vel Gregorij Papæ, vel Divi Augustini, reijciunt, contra quos sit:

Purgatorium dari & novum non esse inventum asseritur. ASSERTIO IV. Purgatorium ab origine primitivæ Ecclesiæ agnitum fuit, locúmque aliquem dari, in quo fidelium animæ, remissâ culpâ mortali, post hanc vitam à maculis purgantur peccatorum, fide Catholicâ tenendum est, hæc communis est Catholicorum omnium. &

Probatur 1. *pars* : tum ex varijs liturgijs, & Patribus primitivæ Ecclesiæ, qui ante tempora D. Augustini floruerunt, & pro defunctis orandum esse censuerunt, quod non fecissent, nisi credidissent eos post mortem subinde detineri in loco aliquo, quo suffragijs viventium juvari possint. Liturgiæ sunt hæ: 1. Jacobi Apostoli, quam, Synodi Constantinopolitanæ Patres 150. ut genuinam, & Apostolicam agnoverunt. 2. Liturgia Romana à Divo Petro primò tradita, quâ de facto, paucis mutatis, utimur. 3. Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ à D. Marco conscripta. 4. Ecclesiæ Æthiopænæ à Divo Matthæo conscripta. 5. Ecclesiæ Constantinopolitanæ. hæ omnes liturgiæ præscribunt modum orandi tempore Sacrificij Missæ pro defunctis, ut videre est apud Bellarminum, qui eos fusè citat; sed hoc non facerent, nisi Purgatorium dari credidissent Apostoli, eorúmque in jam nominatis locis successores; ergo. Patres verò sunt hi: Clemens Romanus lib: Apostolicarum Constit: cap: 4 qui anno 80. floruit, *Oremus*, inquit, *pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut Deus, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum.* Dionysius Areopagita, qui anno 100. floruit in sua Eccle: Hierarch: cap: 7. *Accedens* inquit, *venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peregit, &c. precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eúmque in luce constituat, & regione vivorum.* Hermes Pauli

Probatio 1 ex Liturgijs & Patribus.

discipulus, visione 3. de triumphantis Ecclesiæ structura, ubi clarè Purgatorium describit. Tertullianus lib: de testimonio animæ adversus gentes cap: 4. & de corona militis cap: 3. *Oblationes pro defunctis facimus*, inquit, *harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem postules, scripturarum nullam invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consvetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Idem docet Origenes Hom: 14. in Leviticum. Cyprianus epist: 52. ad Antonianum. Evsebius Alexandr: hom: de Dominica. Zeno verò, serm: de resurrectione Arnobius lib: 4. contra gentes Lactantius lib: 7. instit: cap: 21. Concil. Nicenum cap: 65. Athanasius oratione de his qui dormierunt. Hilarius Pict: ad Psalm: 59. & alij multi, quos fusè citat Bellarminus, quique antecesserunt tempora Divi Augustini, & pro defunctis preces non funderent, nisi credidissent dari aliquē locum, in quo animæ purgari debeant, & juvari possint oblationibus & precibus viventium; ergo datur. *Convincuntur* igitur hæretici ignorantiâ, & mendacijs (his semper illorum fulcitur doctrina) qui Purgatorium à S. Augustino fuisse primò excogitatum dicunt, aut illud à principio primitivæ Ecclesiæ agnitum fuisse, negant.

Hæretici mendaces sunt.

Dices pro Lutheranis: ex jam nominatis Patribus nullus mentionem Purgatorij facit: ergo res est recenter excogitata. ℞. *Distinguendo antecedens*: Purgatorij sub hoc vocabulo, seu ly *purgatorij*, transeat antecedens: purgatorij, id est, rei, quam nos per

vocem

vocem illam intelligimus; nego antecedens & consequentiam. Docent enim jam dicti Patres dari locum aliquem, in quo ad tempus animæ, quæ remissâ culpâ, in hac vita non plenè pro pœna temporali satisfecerunt, detinentur, & puniuntur, precúmque & oblationum fructu sunt capaces (alias cur pro illis preces fuderint, & oblationes obtulerint) sed hoc est quod nos Catholici per ly *purgatorium* intelligimus; ergo sancti Patres in nostro sensu Purgatorium admiserunt. admittant adversarij talem locum, & de voce cum illis non litigabimus.

Ut probetur 2. pars: Necessarium est primò, stabilire basem, super quam fundatur Catholicæ nostræ assertionis veritas, & est hæc, quòd nimirum *remissâ culpâ non semper remittatur omnis pœna temporalis culpæ debita*; si hoc probaverimus, clarum erit dari aliquem locum, in quo fidelium animæ, quæ remissâ culpâ, præoccupatæ morte, in hac vita totaliter non satisfecerunt, pro pœna temporali residua peccatis debita, adhuc satisfacere debent (quia nihil *coinquinatum* Paradisi portas intrare potest, ut fatentur ipsi adversarij) & hunc locum nos Catholici Purgatorium non incongruè vocamus: igitur quòd non semper remissâ culpâ remittatur pœna temporalis.

Remissâ culpâ non semper pœna remittitur.

Probatur 1. Remissâ culpâ originali per baptismum, non remittitur culpa propter illud inflictum; ergo nec remissâ culpâ actuali remittitur semper pœna ipsi debita. consequ: patet à paritate, probatur igitur ante-

tece,

tecedens: *mors*, teste scripturâ, Gen: 3. & ad Rom: 6. cum concomitantibus hujus vitæ miserijs, *est stipendium, seu pœna peccati originalis*; sed remisso peccato non remittitur pœna illa, ut patet quotidiana experientia, ergo.

Probatur 1. ex scriptura varijs exemplis.

Probatur 2. varijs sacræ scripturæ exemplis: ductoribus populi Moysi & Aaron, remisso peccato incredulitatis, non fuit remissa tota pœna temporalis illius peccati; puniti enim sunt postea morte temporali, antequam ingressi essent terram promissionis, teste scripturâ Deut: 23. *Ascende* (inquit Dominus ad Moysem) *in montem istum, & morere sicut est mortuus Aaron frater tuus, quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël.* Item David postquam audire meruit 2. Reg: 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*: pœnam non evasit temporalem, nam punitus est morte filij in adulterio concepti: similiter punitus est 2. Reg: 24. peste triduanâ, quâ 70000. virorum interiere, postquam per pœnitentiam remissum fuit illi peccatum superbiæ, quo numerando populum, Deum offendit; ergo ex scriptura constat, quòd remissâ culpâ non semper remittit Deus pœnam temporalem. Denique num: 12. *Mariæ*, deleto peccato, à lepra jam sanatæ, noluit Deus statim omnem aliam pœnam remittere: ergo dicendum non est, quòd semper liberato aliquo à spurcissima peccatorum mortalium lepra, statim ei remittatur pœna omnis peccatis debita; æquitas enim divinæ justitiæ postu-

postulat, ut tanta Dei offensa non maneat pœnitùs impunita.

Probatur 3. *Nihil coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*, Apocal: 21. *intrat cœlum*; sed certum est plurimos qui repente moriuntur, vel apoplexiâ, vel ferro, vel naufragio, è vivis discedere cum peccatis venialibus, seu levibus culpis, ratione quarum, licet quis amicitiâ Dei non excidat, contrahit tamen maculas aliquas, & animæ labes (de his culpis loquitur scriptura Proverb: 24. *Septies in die cadit justus*) ergo admitti debet post hanc vitam locus aliquis, in quo animæ sic coinquinatæ ad tempus detineantur, & purgentur satisfaciendo pro pœnis temporalibus peccatis illis debitis.

Dices: Tales inopinatè morientes, purgari vel ipsâ morte, vel fide morientium, vel per non imputationem: ergo post mortem purgatione non egent. *contra*: morte non purgantur, aliàs fideles & infideles omnes salvarentur, quià omnes moriuntur; non etiam fide, quia inopinatâ morte præventi, non semper eliciunt actum fidei, & habitualis fides illis non sufficit, aliàs nullus damnaretur fidelis: non etiam per non imputationem, quia ad illam prærequiritur fides actualis, secundùm hæreticos; sed, ut jam dixi, hæc non semper elicitur: ergo cùm purgari debent animæ, levibus culpis maculatæ, ante ingressum cœlestis Jerusalem, assignari debet locus, in quo purgentur. Jam directè ultima pars assertionis, dari scilicet Purgatorium.

Pro-

Positivè Purgatorium dari ostenditur ex veteri testamento.

Probatur ex script: 2. Machab: 12. ubi dicitur, quòd Judas Machabeus miserit 12000. *drachmas argenti, ut orarent pro defunctis*, unde in textu subditur: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur*; sed à peccatis solvi non possunt post hanc vitam, nisi esset locus aliquis, in quo detinerentur in pœnam peccatorum: ergo ex scriptura constat dari talem locum, ubi eleemosynâ, suffragijs, & precibus nostris juvari animæ possunt; unde Aug: lib: de cura pro mortuis, cap. 4. in fine. *In Machabeorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, sed si nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consvetudine claret authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare offeruntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum*. ergo.

Dices: Libros Machabæorum non esse Canonicos, nec consequenter fide dignos. *contra* 1. controversistæ nostri (ut Ecclesiæ definitiones taceam) evidenter ostendunt contrarium, ut videre est in Bellarmino, Bernardino Vetweis, Becano, & alijs. *contra* 2. gratis admittendo illos libros non esse Canonicos; adhuc tantæ debent esse fidei apud adversarios, quantæ aliæ profanæ historiæ, v. g. Livij, Taciti, Plutarchi, &c. sunt; sed adversarij certò credunt, quæ jam nominati historici, de gestis v. g. Romanorum, scribunt: ergo & indubitanter credere debent ex libris Machabæorum, verum esse, ante

1700.

1700. & ultra, annos, indubitatum fuisse inter Hebræos, rem esse sanctam, & salubrem, pro defunctis orare.

Probatur conclusio 2. Tob: 4. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitues, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*: cujus sensus est, ut expositores communiter tradunt: *Instrue convivium, & voca fideles pauperes, ut ipsi acceptâ Eleemosynâ orent pro anima defuncti.* Ex quo loco sicut ex priori sic argumentari quis potest: *Fideles* in hac vita rectè & utiliter orant pro defunctis, & non orant pro illis, qui sunt in cœlo, vel in inferno; ergo pro illis qui sunt in Purgatorio, & consequenter datur Purgatorium. Major est certa ex jam dictis · min: concedunt adversarij, & consequ: vi formæ sequitur.

Alia probatio ex veteri testamento.

Probatur conclusio 3. varijs testimonijs novi testamenti, ex quibus SS. Patres probant Purgatorium dari. Primum sit illud: 1. Cor: 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis si mortui omninò non resurgent; ut quid baptizantur pro illis?* id est: ad quid se homines jejunijs, vigilijs, & fletibus mortificant, ut animas defunctorum in miserijs Purgatorij detentas liberent; nisi animæ illæ sint resurrecturæ, & adjuvandæ per baptismum pœnitentiæ lachrymarum; ut exponunt B. Ephremin suo testamento, & multi alij SS. Patres.

Idem probatur ex novo testamento.

Secundum Matth: 12. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*; ergo dantur aliqua

aliqua peccata quæ in futuro remittuntur sæculo; aliàs gratis Christus addidisset: *neque in futuro*, nisi daretur Purgatorium, in quo solo post hanc vitam remitti possunt peccata; ergo.

Efficax probatio Purgatorij ex novo testamento. *Tertium & maximè urgens* est illud Apostoli: 1. Cor: 3. *Fundamentum aliud, &c. ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* quibus verbis expresse docet Apostolus: aliquorum opera in judicio divino mansura, & mercedem habitura; aliorum verò arsura, & damnum passura, vel pœna mulctanda esse, non tamen æterna; nam subdit Apost; *ipse salvus erit quasi per ignem:* hoc est animæ decedentes sinè debita satisfactione ob leves culpas illis inhærentes, quasi stipulæ ardebunt in igne purgatorij, donec penitùs expurgentur, antequam ad beatorum perveniant consortium; ergo ignis ille admittendus est. Lege Bellarminum hic, qui doctè more suo, & fusè, Catholicam nostram assertionem varijs alijs authoritatibus scripturæ, & sanctorum Patrum, nec non plurimis revelationibus & apparitionibus probat. Interea pro hæreticis.

Objicies 1. In tota scriptura Purgatorij nulla est mentio, & insuper scriptura post hanc vitam duo esse tantùm receptacula animarum docet; Matth: 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam:* ergo omninò negat tertium locum qui Purgatorium dicitur.

Respondetur hæreticis. ℞. *primò* ad primum, distinguendo antecedens; Purgatorij vocaliter accepti conc: ante-

antecedens: formaliter hoc est rei per ly *Purgatorium* à Catholicis intellectæ; nego antecedens & consequentiam: unde retorqueo argumentum contra adversarios. In scriptura nullibi dicitur quòd baptismus est Sacramentum, & tamen ipsi fatentur, quòd sit Sacramentum; ergo quamvis scriptura purgatorij vocaliter accepti mentionem non faciat, per hoc negari non debet.

Ad secundum ℞ distinguendo antecedens: duo tantùm pro adultis, post diem judicij erunt, conc: antec: defacto duo tantùm sunt, nego antecedens & consequentiam: animæ à Christo & Apostolis (ut de alijs Sanctis taceam) teste scripturâ, resuscitatæ, non erant in inferno, quia *ab illo nulla est redemptio*; nec in cœlo, quia alioquin nullam gratiam illis fecisset, qui eas à Sanctorum separavit consortio: ergo fuerunt in tertio aliquo loco; & sic post hanc vitam plura sunt animarum receptacula, quàm duo. *Receptacula animarum plura sunt quàm duo.*

Objicies 2. Scriptura docet varijs in locis, præsertim Sap: 5. & 2 Cor: 5. justorum animas, statim ac separãtur à corpore, in cœlum transferri, sicut fuit translatus latro Luc. 23: ergo nunquam detinentur in Purgatorio. ℞. explicando omnia illa loca, & distinguendo antecedens: justorum qui nullâ labe peccati maculati sunt, conc: antecedens: justorum qui habent aliquid expiandum, nego antecedens, & consequentiam: latronis singulare exemplum, non plus ad rem facit, quàm si quis diceret: Judas in cœlo non est; ergo nullus. fatemur nos plurimos evasisse *Fundamentum hæreticorum.*

omnes purgatorij pœnas, adhuc tamen dicimus plurimos fuisse in illis pœnis detentos, & defacto ibi detineri, & puniri; non tormento mortis finalis, seu malitiæ hominum damnatorum; sed tormento pœnæ temporalis, quo justus judex castigat sperantes in se.

Objicies 3. Aug: tract: 49. in Joannem, aliósque multos sanctos Patres, qui docent post hanc vitam non dari tertium aliquem locum, in quo animæ detinerentur: ergo secundùm ipsos non datur Purgatorium. ℞. explicando SS. Patres, & distinguendo antecedens, non datur tertius aliquis locus in sensu Pelagij (contra hunc agunt Patres, qui pro non baptizatis assignavit locum aliquem, in quo certam haberent beatitudinem) conc: antecedens; tertius locus non æternus, sed temporaneus, nego antecedens & consequentiam.

Locus Purgatorij *Quæres* 1. In quo loco est Purgatorium. ℞. in re de fide incerta, probabiliùs esse quòd sit non procul à centro terræ, nam communiter docent Doctores, infernum in centro esse terræ, sic Purgatorium non procul inde esse judico.

Dices: Animæ purgatorij, ut veridicæ referunt historiæ, apparent frequenter in varijs locis; sed hoc non esset verum, si haberent certum locum pro Purgatorio; ergo non habent. ℞. Negando min: nam ob varios fines Deus permittit, ut animæ illæ appareant super terram ad breve tamen tempus.

Quæres 2. Quâ pœnâ puniuntur animæ Pur-

Purgatorij. ℞. quòd inter alios cruciatus, patiantur pœnas ignis corporei, & hoc patet ex Apoſt: 1. Cor: 3. *Salvus erit, ſic tamen quaſi per ignem:* hæc de Purgatorio alterius vitæ.

Nunc: ut ſatisfaciam multis curiosè ſolicitis, de veritate hiſtoriæ antiquiſſimæ de Purgatorio S. Patritij, Hibernus cùm ſim, quæ certò mihi conſtant, ex relatione multorum fide dignorum, qui locum illum viſitârunt (vidi enim multos utriusque ſtatûs, qui ex mea Patria, quæ 80. milliaribus inde diſtat, illuc devotionis gratiâ iverunt) & Hiſtoricis authenticis breviter referam:

Purgatorij S. Patritij hiſtoria.

Glorioſus ille Hiberniæ Apoſtolus S. Patritius, dum nullis ſignis aut prodigijs perſvadere poterat, præſertim aquilonaribus Hiberniæ incolis, animas ex hac vita decedentes, nunc temporali pœnâ in Purgatorio, nunc æternâ in inferno puniri; nunc verò inexplicabilibus cœleſtis aulæ gaudijs frui, & conſolationibus gaudere, prout uniuscujusque merita, vel demerita exigunt; præmiſſis ordinarijs ſibi pœnitentiæ exercitijs, rogavit Altiſſimum, quatenus miſericorditer vellet locum aliquem in terris aſſignare, in quo increduli illi populi, ad quorum converſionem miſſus erat, Gentilium ſuperſtitionibus obcæcati, viſibiliter poſſint alterius vitæ pœnas, & ex parte beatorum gaudia videre; annuit benigniſſimus JESVS ejus deſiderijs, & oſtendit illi ſubterraneam unam foveam, arctam & obſcuram, addens; quòd quicunque, verâ fide armatus, eandem intraret for-

 nica-

nicatam foveam, præmitteretque ad veram pœnitentiam requisita, non solùm ab omnibus mundaretur peccatorum maculis, verùm etiam videret tormenta malorum, & gaudia cœlestium Civium. peractis Mediatori suo, condignis gratiarum actionibus, vir Dei S. Patritius, cœlesti consolatione repletus, accessit locum à Domino sibi assignatum, & ædificatâ ibidem Ecclesiâ, & Conventu Religiosorum Ordinis S. Augustini, certum instituit ritum, & modum, quem intrantes locum illum Purgatorij observare deberent; sicq; incredulos illos populos, suorum propositorũ tenaces, ad Christi fidem convertit. Ut autẽ distinctiùs parùm modum quo tempore meo adhuc Purgatorium jam dictum visitabatur, describam, operæ pretium duxi, de ipsa Hibernia hæc pauca subjungere. Itaq;

Divisio Hiberniæ in 4. Provincias. *Sanctorum Insula Hibernia*, in quatuor dividitur Provincias: *Momoniam* scilicet, *Lageniam*, *Conatiam*, & *Ultoniam*, quarum quævis in Comitatus, districtus, seu circulos (ut alij vocant) subdividitur, habétque suum Archiepiscopum, & à Rege nominatum Gubernatorem. Inter præcipuas *Momoniæ* familias, hæ meritò numerantur: *ò Brien*, (ex hac enim Excellentissima & Illustrissima familia, ante, & post Christum natum, per aliquot sæcula, regnârunt Reges in Hibernia, in *Momonia* Principes, & Tuomonia Domini) Butleri, Charthæi, Geraldini, Gall de Burgo, de Mara, Mohonij, seu Matthæi, Sulivan, &c. (non est mei instituti omnes Hiberniæ primarias nominare familias) In

Cona-

Conatia, de Burgo, Conori, &c. In *Lagenia*, Butleri, Wallis, Moore, Comites Mediæ &c. In *Ultonia*, ò Nelli, ò Donell, mac Daniel, &c. (quod per *de* apud Latinos, & *Von* apud Germanos denotatur, hoc per *ò*, & *mac*, ante cognomina posita, denotatur apud Hibernos) &c.

In hac Ultoniæ Provincia lacus est piscosus, & profundus, Hibernicè *Loch dearg*, Latinè verò lacus ruber dictus, in cujus medio Insula situata est, in qua Altissimo placuit, servo suo Patritio purgatorij locum designare; Peregrini, qui tempore æstivo ex omnibus regni partibus copiosè illuc confluunt, in naviculis transvehuntur in Insulam, ubi antequam locum Purgatorij intrant, sequentes debent præmittere pœnitentiæ rigidissimæ & mortificationis actus: 1. Patrem spiritualem, qui Purgatorio à Reverendissimo Patre Priore Canonicorum præficitur, statim ac in Insulam veniunt, debent se præsentare, à quo acceptâ benedictione, & informatione debitâ, ad peragenda, quæ de more à peregrinis fieri solent, se accingunt, & sic Ecclesiam B, Virgini, & D. Patritio sacram, nudis ingrediuntur pedibus, præmissisque coram magno altari genibus flexis, jaculatorijs aliquibus precibus, surgunt, & Ecclesiam ad intus prius, & postea ad extra in Cœmiterio septies circumeunt; postea Stationes (sunt enim Sacella, quæ à nostris cellæ pœnitentiales Sanctorum dicuntur) circum circa Insulam in gyro collocatas, visitant, & singulas earum circumgyrant septies ad ex-

Descriptio loci in quo est Purgatorium S. Patritij

Rigidissima pœnitenti intrantium Purgatorium.

ad extra nudis pedibus, ad intra verò flexis genibus: tandem cruces duas (quarum una in templi cœmiterio est, & altera non procul inde, cumulo lapidum circumdata, conspicitur) venerantur, & circumeunt nudis pedibus; tandem, fessi, & malè sani, ordinariè in plantis, veniunt ad locum, in quo gloriosus ipse S. Patritius orare consvevit, ubi supra marmoreum lapidem (in quo miraculosè vestigia genuum infixit Sanctus) aquâ obductum, unus post alterum, *Pater noster, Ave Maria*, & *Credo* flexis genibus vix absolvunt, cùm se divinitùs refici, & denuò roborari ita sentiunt, quòd si liceret (non licet autem) circuitus jam dictos statim repetere, omninò possint & vellent; hoc modo per continuos octo dies, Stationes, templum, & alia jam dicta loca, tribus vicibus de die, manè scilicet, meridie, & vesperi visitant & circumeunt. Totó hoc tempore strictissimè in pane, & aqua lacustrali calefacta, ita jejunant, ut non nisi semel spatio 24. horarum, se illo reficere condimento audeant; vesperi autem nullo habito respectu, lassos artus somno confortant in nuda humo jacentes.

Lapis miraculosus.

His peractis, qui Purgatorium intrare volunt, præmissâ generali peccatorum confessione, sacrâ Synaxi refecti, & roborati, & ad resistendum Principi tenebrarum, fide firmâ in Deum armati, Patrem spiritualem pro benedictione rogant; qui præmissâ priùs exhortatione, quâ illis ante oculos ponit pericula, quibus se committunt, qualitérque subterraneam illam foveam plurimi intrârunt,

Modus intrandi Purgatorium.

runt, de quorum interitu aliud non ſcitur, quàm quòd nunquam ſint regreſſi: exhorta tione finitâ, præcedit Pater ſpiritualis vexillum Chriſti in dextera habens, ſequuntur intraturi (plures ſimul quàm novem ob ſpeluncæ anguſtias intrare non poſſunt, intrant frequenter duo, intrat & unus) corde contrito (quaſi ex hac eſſent tranſituri vita) gementes & flentes, divinámque miſericordiam precibus & meritis B. Virginis, & S. Patritij implorantes: dum ad oſtium venitur, aſperguntur aqua luſtrali; & ſic vale, cum pace dicunt & precantur toti mundo, maximè vero illis qui comitantur eos: & ſic Purgatorium intrant, clauſóque de foris oſtio, recedit Pater ſpiritualis cum populo. Recluſi in ſpelunca 24. continuis horis manere debent, ſinè cibo & potu, continuè orantes, vel meditantes, vel ſe invicem contra infeſtationes dæmonum, frequenter apparentium, & rugientium, confortantes. elapſo tempore ordinato, adeſt ſubitò Præfectus peregrinorum, & aperto oſtio dimittit illos ex ſpecu, & ad lacum deducit, in quo ſe ter immergunt; finito balneo, quaſi expiatione luſtrati, & Chriſto per pœnitentiam, veluti neomilites, renati, ad templum redeunt, actíſque ibi Deo pro acceptis beneficijs gratijs, peractíſq; alijs ex conſvetudine agendis, valedicunt Præfecto, & ad propria redeunt.

Periculū intrantiū Purgatorium.

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ IV.

An animæ Purgatorij phyſicâ actione ignis patiantur?

CO-



COLVMNA V.

De Censuris Ecclesiasticis, in genere, & specie.

TRactatus iste, Confessarijs maximè necessarius, cum pœnitentiæ Sacramento non parvam habet affinitatem, quapropter post illam de pœnitentia materiam, Theologi de censuris communiter tractant; at mihi visum est, ob causas in præfatione ad Lectorem specificatas, de illis breviter hic agere. Unde

Censura Ethymologicè explicatur. *Adverte*: Censuram ethymologicè consideratam idem esse ac severam correctionem, seu ut alij loquuntur, judicium de re aliqua, quo aut laudatur, aut reprehenditur. Sic inter Romanos Censores dicebantur illi soli, ad quos pertinebat de Civium moribus indagare, & indignos honoribus privare: Censura igitur Ecclesiastica idem significat, quod spiritualis pœna seu mulcta. Hoc notato sit:

Descriptio Censuræ Ecclesiasticæ. ASSERTIO I. Censura Ecclesiastica non malè describitur: Mulcta spiritualis & medicinalis, Ecclesiasticâ potestate impositâ, quâ quis privatur immediatè usu spiritualium bonorum, ad tempus. hæc re ipsa communis est, & bona.

Explicatur descriptio. *Probatur*: tum quia constat genere & differentiâ: ly *mulcta spiritualis* est genus, in quo censura convenit cum alijs pœnis Eccle-

clesiasticis, ut cum irregularitate, depositione, degradatione, &c. quæ, teste Innocentio III. in cap: *quærenti*, censuræ non sunt: reliquæ particulæ sunt differentia. tum etiam ipsam explicando, dicitur *multa medicinalis* ad denotandum finem censuræ, qui est emendatio delinquentis, quâ secutâ tollitur censura illa potestate, quâ fuit fulminata. additur *Ecclesiasticâ potestate*, quia sola Ecclesia habet jus infligendi pœnas spirituales. dicitur *spiritualium bonorum*: quia etsi subinde per censuram privetur quis bonis temporalibus, hoc tantùm fit, quatenus illa sunt subordinata bonis spiritualibus, in quibus immediatè mulctatur. additur denique *ad tempus*, quia sicut medicinæ usus cessat cessante morbo, sic & censura cessat statim ac quis se emendat. ut colligitur ex cap: 1. de sent: excom: in 6. unde clarè apparet differentia censuræ ab irregularitate, quæ est ex crimine; à depositione, & degradatione, quæ sunt perpetuæ pœnæ, privántque habilitate ad utendum bonis spiritualibus, & non immediatè ipso usu, & sic tolluntur per solam dispensationem, censuræ verò per absolutionem.

Objicies: Censura subinde fertur sinè spe emendationis: ergo malè dicitur quòd sit medicinalis. ℞. Disting: antecedens: per accidens transeat antecedens: per se nego antecedens & consequentiam: quamvis enim contingeret, quòd censura non semper cedat in bonum hujus in individuo hominis; cedit tamen semper in bonum, & emenda-

tionem communitatis, quod satis est adhoc, ut dicatur medicinalis.

Jam: Supponendo contra Lutheranos, quod sicut quævis bene ordinata Respublica habet potestatem datâ causâ privandi subditos bonis temporalibus, sic in Republica Ecclesiastica sit potestas puniendi sibi subjectos, per censuras Ecclesiasticas; & hoc patet tum ex Constant: Sess: 8. cap 15. tum ex perpetuo usu Ecclesiæ; tum denique ex illo Matt: 16. *quodcunque ligaveritis super terram &c.* & ex Apost: 1. Cor. 4. 1. Cor. 5. & 1. ad Tim: 1. quibus ex locis probatur Paulum fuisse usum hac potestate. sit jam

Divisio Censuræ in tres species. ASSERTIO II. Censura adhuc dividitur in *excommunicationem*, *suspensionem* & *interdictum*. *probatur*, tum ex cap. *Statutum.* de sententia excomm: in 6. tum etiam ex cap. *quærenti* de verborum significatione, ubi Innocentius III. interrogatus, jam assignatas tantùm tres censuræ species assignat, nullâ factâ mentione irregularitatis: ergo signum est illas solas esse censuras; tum denique quia Religiosi vi suorum privilegiorum à censuris omnibus absolvere possunt, & in irregularitate dispensandi tantùm potestatem habent: ergo signum est irregularitatem non esse censuram.

Alia Censura divisio. ASSERTIO III. Censura alia est à jure, & alia ab homine: item alia latæ sententiæ, & alia ferendæ: *probatur* 1. *pars*, tum quia habet conditiones bonæ divisionis; tum etiam ostendendo utriusque differentiam; censura enim à jure lata est illa, quæ per

per legem permanentem vel statutum fertur, & hæc semper manet, etiam mortuo legislatore. nisi revocetur: altera verò censura est, quæ per sententiã hominis in actione singulari, vel negotio fertur, & hæc nõ est stabilis: unde mortuo v. g. Episcopo, qui excommunicavit omnes, qui in tali loco furantur, cessat obligatio illius præcepti, & sic qui postea ibidem furaretur, non incurreret excommunicationem.

Patet etiã 2. pars: Nam censura latæ sententiæ dicitur illa, *quæ incurritur ipso facto*: ferendæ verò sententiæ est, *quam Iudex minatur, vel mandat infligi*: sic cùm, lex aut mandatum absolutè cum his vel similibus terminis, *quicunquis hoc fecerit, sit ipso jure, vel facto excommunicatus*, vult aliquem incurrere excommunicationem sinè respectu ad judicem, dicitur censura latæ sententiæ; si verò lex cum respectu ad Judicem mandat sub his terminis: *qui hoc fecerit mandamus excommunicari, excommunicetur &c.* tunc erit ferendæ sententiæ censura: lege Suarem, qui doctè, more suo, integrum de censuris tomum scripsit.

Quæres: Quibus competit de jure potestas ferendi censuras? R. quòd omnibus & solis habentibus in foro externo jurisdictionem Ecclesiasticam, ut sunt Pontifex, ejúsq; Legati à latere, Concilia generalia, & provincialia, si approbentur; Episcopi, Cardinales, Vicarij generales, Capitulum sede vacante, Abbates, Generales & Provinciales Ordinum, quivis ex his respectivè ad omnes, & solos sibi subjectos, potest ferre censuras. *Quis potest ferre Censuram*

Conditiones requisita ad ferendam Censuram.

Ad hoc autem ut quis possit ferre censuram in alium requiritur 1. potestas non impedita per justam appellationem, aut notoriam Judicis excommunicationem. 2. ut agat humano modo, scilicet liberè. 3. ut non sit extra proprium territorium, aut locum in quo, saltèm delegatam, non habet jurisdictionem, ut habetur in *Clement: unica de foro competenti.* 4. ut peccatum, ob quod fertur censura, sit aliquomodo commissum in territorio ferentis, ut colligitur ex *cap: 2. de constit: in 6.* ubi Pontifex ait: *Extra territorium jus dicenti non paretur impunè.* Jam sit:

Requisita ex parte censurādi.

ASSERTIO IV. Ut quis possit ligari censuris, debet esse adultus, ferentis subditus, actu externo consummato contra præceptum Ecclesiæ, notatus: & si est *ab homine*, debet præcedere Canonica admonitio, secus dicendum est, si *à jure:* hæc est etiam comunis. *Prima & secunda pars probatur*, quia Ecclesia non habet jurisdictioné in infantes, amentes, defunctos, aut non baptizatos, ut omnes docent; sed latio censuræ est actus jurisdictionis; ergo in tales ferri non potest. *Probatur 3. pars*: actus interni, teste Trid: Sess: 24. C. 1. non subjacent potestati Ecclesiæ (intellige de potestate coercitiva, ut dixi pag: 140. meæ manualis summæ) quia de internis non judicat: ergo ut possit ferre censuras, debet actus esse externus. quòd etiam debet esse consummatus, seu completus, *patet*, quia lætaliter vulnerans, non incurrit excommunicationem latam

latam in homicidam: ergo qui non complet actum prohibitum, per censuras puniri non potest. *Quarta pars probatur* ex cap: *ex parte, de significatione Verborum*: ubi Pontifex dicit censuras esse institutas contra contumaces, & inobedientes Ecclesiæ; sed nemo potest dici talis, nisi qui Ecclesiæ præcepta contemnit: ergo.

Probatur 5. pars de Canonica monitione, tum ex cap: *reprehensibilis*, & cap: *cum speciali*, de appellation: tum etiam quia tales pœnæ gravissimæ non fulminantur nisi in contumaces; sed contumax non debet censeri, nisi qui spretis admonitionibus persistit in malo proposito: ergo.

Probatur jam ultima pars. Quia qui spernit legem monentem ipsum continuè, Canonicam etiam monitionem, si fieret, contemneret: ergo ad incurrendas censuras, quæ per legem ipso jure feruntur, nulla requiritur prævia Canonica admonitio.

Objicies contra 1. & 2. partem: Ecclesia sæpe anathematizat mortuos, & tamen mortui non sunt subjecti Ecclesiæ; ergo. ℞. Disting: maj: mortuos declarando eos fuisse dum viverent obstinatos, & alienos à communione fidelium, & consequenter sepulturâ sacrâ indignos, conc: maj: mortuos abstrahendo à tali obstinatione, nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequ:

Quomodo mortui excommunicantur.

Quæres 1. quænam sunt alia servanda ad justè inferendam censuram? ℞. 1. requiri peccatum mortale, quia propter veniale tam gravem pœnam infligere esset iniquum. 2. ut Cano-

Alia requisita ad ferendam Censuram.

Canonica admonitio Judicis nomine exprimatur, taliter ut ad aures Rei veniat, & hoc tribus interpolatis vicibus coram testibus, vel unicâ vice pro tribus sub his terminis, vel æquivalentibus: *Moneo te pro tribus vicibus, ut infra tot dies vel hebdomadas, concedendo tibi singulas pro singulis admonitionibus, hoc vel illud facias, alioquin censuram incurres.* 3. Censura debet signo externo exprimi, non tamen necessario scripto semper.

An ignorantia excuset? *Quares* 2. an ignorantia excuset à censura incurrenda? ℞. si affectata sit & crassa, negativè, quia talis non excusat à peccato: si verò sit invincibilis, ℞. affirmativè, & ratio est, tum quia talis ignorantia excusat à peccato: tum etiam *ex cap: 2. de constit: in 6.* ubi dicitur, *quòd ignorantes sententijs per statuta ordinariorum prolatis non tenentur.* ergo.

Definitio excommunicationis. ASSERTIO V. Excommunicatio, perfectissima censuræ species, bene describitur: *Censura Ecclesiastica,* quâ quis privatur directè Ecclesiasticâ fidelium communione. *probatur,* tum quia habet requisita ad bonam descriptionem: tum etiam quia excommunicatus idem est, ac extra communionem fidelium factus; unde est illud Matth. 13. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus,* hoc est, tanquam ab Ecclesia segregatus: ergo. tum denique quia constat genere & differentiâ: ly *censura* est genus, in quo excommunicatio convenit cum suspensione, & interdicto; & differentia, quâ differt ab irregularitate & degrada-

tione

tione, &c. reliquæ particulæ sunt differentia ejus ab alijs censuris; nam hæ non privant communione fidelium, licèt bene officio exercitij Ecclesiastici, in quantum habet rationem Ecclesiastici ministerij tantùm.

ASSERTIO VI. Excommunicatio bene dividitur in majorem, & minorem. maj: est, quæ absolutè separat à communione fidelium, minor verò, quæ à perceptione sacramentorum. 1. *pars probatur*, quia habet conditiones bonæ divisionis; ergo. 2. *pars etiam probatur*, ex cap. *penult. de sententia excommunicat:* *Divisio excommunicationis in majorem & minorem.*

Objicies: contra secundam partem. Anathema magis separat quàm excommunicatio major: ergo malè dicitur quòd hæc absolutè separat: *probatur* antecedens, ex cap. *cùm non ab homine, de judicijs*, ubi Cœlestinus Papa idem videtur affirmare, & ex cap. *nemo Episcoporum*, 11. q. 7. ubi permittitur Episcopo excommunicare, non verò anathematizare sinè consensu Archiepiscopi; ergo. *Anathematis ab excommunicatione differentia.*

℞. negando antecedens: & ad illa jura, & alia citata a Suare hic Dis. 8. Sect. 1. quibus probatur. ℞. quòd tantùm volunt indicare diversum modum, quo feruntur illæ censuræ, nam anathema dicitur excommunicatio, quando fulminatur ab Episcopo, Presbyteris 12. adstantibus, cum facibus accensis in manibus, quas publicatâ excommunicatione, projiciunt in terram, & in detestationem anathematizati pedibus conculcant. quando verò sinè tali solemnitate, terrore & ignominia fertur, dicitur tantùm excommunicatio

major: & quotiescunque in jure aliquid sub excommunicatione præcipitur, intelligendum est de excommunicatione majori, nisi ipsum jus aliud declaret, ita habetur *in cap. penult. de sentent. excomm*:

Excommunicationis minoris una est species.

Quæres: quot sint species excommunicationis minoris? ℞. jam non esse nisi unam tantùm, quæ scilicet incurritur propter communicationem cum excommunicato, & ab hoc, potens absolvere à mortali, quivis absolvere potest; per quod patet differentia minoris à majori, nam hæc privat pluribus bonis, respicítque semper culpam mortalem, plus ligat, & obligat, & difficiliùs solvitur, quàm minor. Nunc ut effectus excommunicationis majoris assignemus

Relaxatio à Conc. Constant. facta utilis est.

Adverte Concil: Constantiense ad serenandas & quietandas multorum conscientias, in extravag: *Insuper ad evitandum*, relaxásse antiqua jura strictissimè prohibentia cum excommunicatis communionem; & decrevisse, solos nominatim denuntiatos, & publicos Clericorum percussores esse vitandos. Ex quo infertur me non obligari ad evitandum aliquem quantumcunque etiam nominatim excommunicatum, nisi hoc sit publicatum per schedularum affixionem, vel alio sufficienti modo, vel nisi sit talis Clerici percussor (non loquor de Clerico nomine indigno, qui in popina cum rusticis saltaret, se inebriaret, percuteret primò, &, vix non meritò, repercuteretur; de quo lege doctissimū Caramuelem in sua fundamentali Theologia) ut factum negari, vel excusari nequeat, ubi Ad-

Adverte, Relaxationem jam dictam factam fuisse in favorem fidelium, non verò excommunicatorum; unde ipsi excommunicati eodem modo tenentur vitare non excommunicatos modò, sicut ante Concilium tenebantur; at excommunicatus rogatus à non excommunicato, potest illi conferre Sacramentum, in cujus administratione nullo alio modo se ingerere debet; & si *quaras* in quo defacto tenemur vitare excommunicatos non toleratos? ℞. quòd in omnibus, quæ hoc continentur versu:

Relaxatio Concilij non favit excommunicatis.

Os, orare, Vale, communio, mensa, negatur.

Per *os* intelligitur conversatio, oscula, & similia, amicitiæ signa. per *orare* communicatio in sacris. per *Vale*, omnis salutatio, non verò resalutatio, quia talis videtur debiti solutio. per *communio* societas in negotijs. per *mensa* denique intelligitur societas in victu. cum toleratis autem (sic vocantur excommunicati quos vitare non tenemur) non solùm in rebus civilibus, sed etiam in rebus sacris communicare possumus; nam rationabili ex causa possumus inducere toleratum, ut nobis Sacramenta administret, modò habeat potestatem ea conferendi, ut docet Suares hic disp. 11. Sect. 4. & colligitur expressè ex Bulla Martini V. ubi dicitur: *neminem impostèrum teneri tales excommunicatos vitare, in administratione & susceptione Sacramentorum*; sunt autem certi casus in jure expressi, & sequenti versu contenti, quibus etiam cum non toleratis communicare licet.

Casus in quibus tenemur eum excommunicatis non communicare.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Casus quibus licet cum non toleratis communicare.

Per *utile*, intelliguntur illa quæ concernunt salutem animæ; sic possum taliter excommunicatum hortari, admonere, item ab eo debita, extra vel in judicio petere. per *lex*, intellige legem matrimonialem, quâ ligati, possunt idem post excommunicationem quod ante illis licuit, teste Sanches lib: 9. de matrimonio, disp: 14. & *ratio est*, quia excommunicatio non privat jure matrimonij. per *humile* intellige, filios, famulos, & ancillas, respectu parentum & Dominorum, quibus sunt domestici; dixi *domestici*, quia non possunt subditi extra domum commorantes communicare, cum Principe, aut Republica non tolerato; per *res ignorata:* intellige quamlibet ignorantiam excusantem à mortali; sic si ignoras aliquem excommunicationem incurrisse, non teneris illum vitare; aut etiam si dubitas te, aut alium excommunicatum esse, modò temerariè non procedas, examen dubij negligendo, vitare non teneris. per *necesse* intellige quamcunque necessitatem, quæ prudentis judicio talis dici potest, sive se tenet ex tua parte, sive ex parte excommunicati, sive sit spiritualis necessitas, sive corporalis; *favores enim sunt ampliandi.* lege, Suarem loco suprà citato. Interea sit.

Pæna excommunicati.

ASSERTIO VII. Excommunicatus excommunicatione majori privatur communibus Ecclesiæ suffragijs, hoc est, omni profectu provenienti fidelibus ex publicis ministrorum Ecclesiæ suffragijs, & sacrificijs, per

per modum impetrationis & satisfactionis; est communis, & colligitur expresse ex cap: *sacris*, 38. & ex cap: *à nobis*, 28. de sententia excommunicationis, pro tali orare possumus.

Hinc tamen non infertur, me non posse privatas preces pro excommunicato sinè omni peccato offerre, quia nullibi ab Ecclesia id mihi prohibetur; ergo.

ASSERTIO VIII. Excommunicationis varij sunt effectus, quorum primus est, privatio activa, & passiva Sacramentorum. Secundus, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Tertius, quòd excommunicatus nec celebrare, nec divinis officijs interesse potest; hæc quoad omnes partes communis est, & *Alij effectus excommunicationis.*

Probatur 1. *pars*: tum ex capt *cum illorum de sententia excommunicationis*; tum etiam quia qui est inobediens & contumax Ecclesiæ, meritò repellitur, tanquam indignus, à participatione præcipuorum Ecclesiæ bonorum; sed Sacramenta sunt talia; ergo. *In multis* tamen casibus, & maximè in mortis, & infamiæ periculo, Theologi docent, licere excommunicato activè, & passivè, uti Sacramentis, ut videre est apud Suarem Disp: 11. & 12. per totum. Jam

Probatur 2. *pars*: tum ex cap: *Alma mater, de sententia excommunicationis*, in 6. tum etiam ratione illâ, quâ prima pars probata est. *Hinc sequitur* nemini licere cum non tolerato excommunicato Sacrum audire, aut alijs interesse divinis officijs; nam si ille expelli non potest, fideles tenentur exire ex téplo, & *Non licet cum illo Sacrum audire.*

H 2 Sacer-

Sacerdos si jam post communionem est, statim ab altari recedere, & in Sacristia, vel alibi secretò Sacrum finire, ut docent Sumistæ communiter.

Toleratus sepeliri potest in loco sacro.

Probatur jam ultima pars: tum ex cap: *sacris de sepulturis*, tum etiam quia non decet ut talis intoleratus rebellis in sacro sepeliatur loco, aut à Clero solemniter deducatur ad locum ullum sepulturæ: ergo. *Unde* si talis excommunicatus, aut hæreticus damnatus per sententiam in sacro loco sepeliretur, statim locus profanaretur. *Dixi intoleratus*, quia toleratus potest in sacro loco sepeliri, modò in fine pœniteret; aut saltem de illius impœnitentia publicè non constaret, ut patet ex Conc: Constant: ante citato, permittente fidelibus cum toleratis in divinis communicationem.

Alij excommunicationis effectus.

Inter alios excommunicationis effectus, sequentes sunt præcipui; 1. inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica, ut habetur in cap: *pastorali de Clerico excommunicato*. 2. irritatio rescriptorum Sedis Apostolicæ ab excommunicato obtentorum. 3. privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ sub nullitate, si à non tolerato exerceatur; ut colligitur ex cap: *is qui*. 12. *de officio delegati in 6*. 4. effectus est, privatio actuum judicis, procuratoris, actoris, & testis. 5. privatio omnis civilis & humanæ conversationis in sensu antea, assertionibus præcedentibus, explicato. 6. si per annum pertinaciter perseveret quis in excommunicatione, contra illum procedi potest tanquam contra hæreticum, ut colligitur

gitur ex Trid: Sess: 25. cap: 3. de reformat: 7. qui in scelere habente annexam excommunicationem cum excommunicato communicat, incurrit excommunicationem majorem; unde qui adulteratur cum excommunicata, propter adulterium, incurrit excommunicationem, ut habetur in cap: *Si concubina, de sententia excommunicationis.*

Nunc, ut de forma absolutionis ab excommunicatione aliquid subjungam. *Adverte*, aliquem posse dupliciter absolvi ab excommunicatione. 1. simpliciter: sic absolvitur ille quem certò scimus incurrisse excommunicationem. 2. ad cautelam, & hoc modo absolvitur ille, de quo dubitatur, an incurrerit excommunicationem, nec ne. Jam sit:

Duplex absolvendi modus.

ASSERTIO IX. Ut absolutio ab excommunicatione in foro externo sit valida, seclusâ impotentiâ, debet fieri signo externo, præmissis certis cæremonijs, & præviâ satisfactione partis læsæ: hæc quoad omnes partes est communis. Et

Ad validè absolvendum requisita.

Probatur 1. & 2. *pars*: tum ex praxi Ecclesiæ sic semper absolventis: tum quia absolutio talis est quædam concessio juris facta homini: ergo debet fieri signo externo adhibitis certis cæremonijs; frustranea enim censeri posset, quamdiu occulta maneret.

Probatur etiam ultima pars: Censura infligitur ad tollendam contumaciam; sed hæc non tolleretur, nisi absolvendus satisfaceret parti læsæ: ergo. *Dixi in foro externo*, quia in foro interno sufficit hæc, vel æquivalens: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis*,

 quam

quam incurristi ob N. N. factum, &c. *Dixi* etiam *seclusâ impotentiâ.* quia qui sinè notabili jactura famæ, vel bonorum satisfacere non potest, non tenetur ad satisfaciendum, & sic illi sufficit bona voluntas ad hoc, ut absolvi possit.

Quinam ab excommunicatione absolvere possunt.

De potestate habente ad absolvendum ab excommunicatione, hæc tantùm dicenda occurrunt: 1. Episcopum ordinariâ authoritate ut pastorem, posse absolvere à non reservatis Papæ. 2. à reservatis, per se loquendo; illum solùm posse absolvere, qui reservat, vel superior illius, vel ab illo authoritatem habens. Dixi *per se*, quia jura concedunt, in diversis casibus, omnibus approbatis Sacerdotibus, authoritatem absolvendi à talibus censuris, ut v. g. in mortis periculo. 3. Episcopum posse absolvere eos, qui ob legitimum impedimentum non possunt accedere Sedem Apostolicam, vel ejus delegatum, ut docent Theologi communiter. 4. mendicantes, legitimè approbatos ad confessiones audiendas, posse absolvere suos pœnitentes ab omnibus casibus Papæ reservatis, exceptis illis in Bulla Cœnæ specificatis, ut patet ex nova concessione à Gregorio XIII. Patribus Societatis facta, quâ alij mendicantes gaudent, ut in tractatu de privilegijs ostendam.

Quinam dici debent Clerici.

Pro complemento: harum de excommunicatione assertionum: *Adverte*; illos solos dici Clericos, & privilegio Canonis gaudere, qui sunt primâ tonsurâ insigniti, vel sunt religiosi, religiosæ, novitij, conversi, vel ter-

tij

tij Ordinis Sanctorum Francisci, vel Dominici in communi inter se viventes; Jam ut aliquid de excommunicatione, quam in Clericum violentas inijcientes manus, incurrunt, dicam. sit:

ASSERTIO X. Per violentam injectionem manuum, ob quam incurritur excommunicatio cap: *Si quis suadente diabolo.* 17. q. 4. intelligitur, quivis actus injuriosus corpori Clerici mediatè, vel immediatè illatus, qui sit peccatum mortale, Hæc est communis, & non habet aliam difficultatem, nisi ut assignentur dicti actus. *De injectione manuum in Clericum.*

Itaque: verberans, trahens, vi in aliquo loco detinens, conspuens, pulveres in faciem proijciens, vel vestes Clerico vi eripiens, incurrit illam excommunicationem, ut cum Navarro cap: 27. n. 77. docent Casistæ communiter, quos fusius consulere possis; interea ut de suspensione juxta consvetam methodum, aliquid dicamus. sit

ASSERTIO XI. Suspensio, ut ad propositum facit, bene describitur, *Censura Ecclesiastica*, quâ privatur minister Ecclesiæ usu potestatis quæ illi ratione officij clericalis, vel beneficij convenit. hæc est communis. Et *Suspensio describitur.*

Probatur: quia constat genere & differentiâ: ly *censura* est genus in quo convenit cum alijs censuris: ly *usu potestatis*, est differentia, quâ differt ab illis, excommunicatione scilicet, & interdicto, quæ insuper privant alijs bonis; & tali usu potestatis privant, sub alio respectu: nam excommunica-

tio privat illis, quatenus habent rationem communicationis cum fidelibus, in sensu jam explicato; & Interdictum, quatenus sunt participatio divinorum officiorum, vel Sacramentorum; suspensio verò quatenus habent potestatis clericalis rationem; & sic soli Clerici per censuram possunt suspendi, sicut & à suspensione absolvi. Per *officium clericale* intelligi debet, potestas quævis spiritualis, ad aliquem spiritualem actum exercendum requisita, sive sit ordinis, sive jurisdictionis, & per *beneficium* intelligitur jus perpetuum, ad recipiendos Ecclesiasticos fructus, ob aliquem spiritualem titulum.

Soli Clerici possunt suspendi.

Suspensionis divisio & subdivisio.

ASSERTIO XII. Suspensio dividitur 1. in eam quæ est à jure, & illam quæ est ab homine. 2. in illam quæ est latæ sententiæ, & illam quæ est ferendæ sententiæ. 3. in eam quæ est ab officio, & illam quæ est à beneficio, & quæ ab utroque. 4. duo priora membra subdividuntur in totalem, & partialem; hæc omnia per se ita clara sunt, suppositis ijs quæ de excommunicatione diximus, quòd explicatione non indigeant; unde obiter *advertendum est*, quòd quando sinè determinatione, suspensio generaliter fertur, id intelligi debet de totali, tam ex parte officij, quàm beneficij, ut volunt Summistæ communiter.

Effectus suspensionis absolutè latæ.

ASSERTIO XIII. Absolutè suspensus ab officio nullos debet exercere actus potestatis spiritualis, Clericos propriè concernentes; secus dicendum est, si suspendatur tantùm ab aliquo determinato officio; hæc est etiam communis, & Pro-

Probatur 1. *pars*: tum ex cap: *cùm dilectus, de consuetudinibus*; tum etiam quia suspensio talis non coarctatur ad aliquam officij Ecclesiastici partem: ergo comprehendit totum.

Probatur 2. *pars*, *Odia sunt restringenda*, ut habet regula juris: ergo suspensus ab aliquo determinato officio, non debet intelligi suspensus ab alijs officijs, quæ cum illo determinato connexionem non habent; unde suspensus ab actu ordinum minorum, v. g. vel Subdiaconatûs tantùm (leges pœnales sunt intelligendæ prout sonant) si est Sacerdos approbatus, sine periculo irregularitatis, potest pro Diacono ministrare, & confessiones audire. lege Suarem disp: 26. Sect: 1. & 2. Hinc:

Infertur: illum qui ab officio suspenditur determinatè, per hoc non suspendi à beneficio, propter eandem rationem: vide plures similes casus apud Casistas, quorum hic non assumo munus.

ASSERTIO XIV. Exercens actum per suspensionem inhibitum, nisi materiæ levitas excuset, peccat mortaliter; & si est actus ordinis, incurrit irregularitatem: *Prima pars probatur*: transgressio ecclesiastici præcepti in re gravi, peccatum est mortale; sed exercens actum per suspensionem inhibitum, transgreditur Ecclesiasticum præceptum: ergo peccat mortaliter. *Pœna exercentis actum per suspensionem prohibitum.*

Probatur etiam 2. *pars*: tum ex cap: 1. *de sententia excommunicationis* in 6. & cap: *Si quis Episcopus in consilio*: tum etiam ex cap:

is cui, de sententia excommu: in 6. quibus in locis, conclusio asseritur: ergo est vera.

Quomodo tollitur suspensio.

Quares: Quomodo impediatur & tollatur suspensio? ℞. per sequentia: 1. impeditur per justam appellationem præcedentem ipsam sententiam, quia tunc impeditur potestas ferentis. *Excipe*, nisi Judici mandetur, ut non obstante appellatione, in causa procedat. 2. si sit *ab officio tantùm*, impeditur per appellationem subsequentem. 3. suspensio lata per modum censuræ tollitur per absolutionem, sicut de excommunicatione diximus; lata verò per modum pœnæ tollitur primò quando tempus expirat, nisi intercedat dispensatio. 4. si sit lata à jure communi ad certum tempus, vel sub certa conditione, illis non expletis tolli non potest, nisi Papali authoritate, quâ solâ in jure communi dispensatur. si autem sit per statutum particulare, vel ab homine per particularem sententiam, potest tolli ab eo, qui condidit statutum, vel ab ejus superiore, vel successore: si denique sit lata per sententiam generalem, sinè determinatione alicujus temporis, vel conditionis, potest tolli ab eo, qui à mortalibus absolvendi potestatem habet, ut colligitur ex cap: *nuper, de sententia excommu:* in 6. De potestate mendicantium in hac parte, idem affirmo, quod de potestate illorum in ordine ad absolvendum ab excommunicatione dixi.

Causa suspensionis.

Antequam de interdicto aliquid dicam, notandæ sunt sequentes suspensiones: 1. Clerici utentes vestibus varij coloris, suspendun-

duntur à beneficio ad sex menses, & Sacerdotes ad annum (intellige ubi contrarium per consvetudinem non invaluit) 2. Sacerdos, quocunque prætextu, benedicens Sponsis, aut eos copulans sinè Parochi licentia, suspenditur in probabiliori sententia, ab officio & beneficio, usque dum authoritate Episcopali absolvatur. vide Trident. Sess: 24. cap: 1. de reformat: matrimonij. 3. ordinatus ab Episcopo hæretico, schismatico, excommunicato, vel Simoniaco, suspenditur ab ordine suscepto. 4. ordinatus ab Episcopo alieno sinè licentiâ proprij Episcopi, ut habetur in cap: *Cùm nullus. de temporibus ordinandorum.* 5. ordinatus seclusâ dispensatione, & privilegio, ante legitimam ætatem, vel extra tempus ordinibus præfixum. 6. admittens, & admissi, mendicantes, ad professionem, ante annum probationis expletum. lege Suarem disput: 28. & 29. ex Summistis verò, Angelum, & Sylvestrum, qui plures alias assignant suspensiones. Interea de interdicto, quod est tertia censuræ species, ut aliquid dicamus: sit

ASSERTIO XV. Interdictum benè describitur: Censura Ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quâ talis est. *Probatur,* quia constat genere, nempe ly *censura,* & differentia; nam per ly *fidelibus communem,* interdictum distinguitur à suspensione, quæ in solos cadere potest Clericos. per ly *quâ talis,* differt ab excommunicatione, quæ privat usu rerum sacrarum, non quà talis

Interdictum describitur.

usus

usus præcisè est, sed quà est communicatio cum fidelibus. deinde excommunicatio non solùm divinarum, sed etiam humanarum rerum usu privat, ut antea dixi; Interdictum verò solùm privat usu sacrarum rerum, puta sepulturæ Ecclesiasticæ, administrationis certorum Sacramentorum, & publicæ recitationis divini officij; de his solis jura expressè loquuntur.

Divisio interdicti. *Interdictum* sic descriptum, aliud est locale, quod in certo loco prohibet, prædicta fieri; aliud personale, quod certas personas privat usu jam dictarum rerum divinarum; & aliud mixtum, quod prohibet utrumque.

Interdictum locale, aliud est generale, quo interdicitur locus, prout à communitate inhabitatur, v. g. quo interdicitur tota civitas: aliud particulare, quo una sola Ecclesia, v.g.

Interdictum personale, aliud est generale, quod directè fertur in aliquam Civitatem, quatenus unum corpus efficit. v. g. in populum Inishensem (civitas est in Tuomonia, in qua, Cornelius ò Brien, Tuomoniæ quondam Princeps, regium planè nobis Franciscanis fundavit monasterium, ante 360. annos, in quo habitum suscepi) aliud particulare, quod fertur in unam, vel plures particulares personas, v. g. in Petrum, & alios, qui juverunt illum in furto committendo.

4. hæc sunt bene notanda. *Jam* hæc quatuor advertenda sunt: 1. Interdicto generali personali, etiam innocentes ligari, quamdiu manent membra communitatis, & non diutiùs, quod est particulare huic censuræ.

Dices

Dices: Censura non incurritur sine peccato mortali; sed innocentes non sic peccant, ut suppono: ergo. ℞. Distinguendo maj: ut habet rationem censuræ præcisè concedo maj: ut habet rationem justæ defensionis nego maj: & concessâ min: nego consequentiam: sicuti enim possum mea tueri, vel recuperare, etiam cum damno innocentum, si aliter non valeo; sic in casu proposito Ecclesia potest tueri jus suum contra contumaces cives, etiam cum damno innocentum.

Secundò, si populus v. g. Pragensis interdicatur, per hoc non interdicitur Clerus, & è contra, si Clerus, non interdicitur per hoc populus: nam leges, maximè pœnales, restringendæ sunt, & intelligendæ in sensu magis favorabili. 3. quando Civitas interdicitur, etiam suburbia interdicuntur, & quando Ecclesiæ, tunc etiam cœmiteria, ut docent Summistæ communiter. 4. Bonifacium VIII. in cap: *Alma mater*, mitigâsse antiqua jura, & sic concessisse tempore interdicti generalis localis, Clericis innocentibus, ut Missam possint celebrare, & alia peragere divina, januis clausis, & submissâ voce, sine campanarum strepitu (excipe nisi quando ad concionem populus est vocandus, vel incidant festa Paschalia, Pentecostalia, Assumptionis B. V. & Corporis Christi cum Octava, quibus diebus licet interdictis, exclusis excommunicatis, illisque qui interdicto causam dederunt, divina more solito celebrare) *Mitigationes cap: Alma mater.*

Effectus interdicti.

Secundus effectus est, prohibitio admini-

ſtrationis Sacramentorum, exceptis Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, per modum viatici, ut habetur in cap: *quoniam igitur*, de ſententia excom. in 6. Tertius verò effectus eſt, privatio ſepulturæ in loco ſacro; & has omnes incurrit pœnas, ille, cui interdicitur ingreſſus Eccleſiæ. lege Suarem Diſp: 35. qui cum alijs, docet Religioſos exemptos obligari ſub excommunicatione ad ſervandum interdictum Eccleſiæ Cathedralis, matricis, vel parochialis; & Dominos incurrere excommunicationem Papæ reſervatam, ſi in loco interdicto ſacra peragi cogunt.

Quomodo tollitur. *Interdictum*, ſi conditionale eſt, tollitur impletâ conditione, ſi autem perſonale, locale, vel generale reſervatum, tolli poteſt ab illo qui reſervat illud, à ſuperiore illius, vel ab alijs de eorum licentia.

Quomodo incurritur, *Incurritur autem interdictum* 1. per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ ab eo, qui in ferenda cenſura non ſervat debitam ſolemnitatem. 2. ab illis incurritur interdictum, qui ſcienter celebrant, aut divina publicè peragunt in loco interdicto. 3. ab illis qui inter viſitandum, aliquid recipiunt ratione; viſitationis. 4. ab univerſitatibus qui dant repræſentatorias, contra perſonas, aut bona Eccleſiaſtica; lege Summiſtas de his, & multis alijs caſibus. Interea.

Ceſſatio à divinis deſcribitur, ejúsq; à cenſuris differentia aſſignatur. *Quares*: quomodo *ceſſatio à divinis* diſtinguatur ab interdicto & alijs cenſuris? R. quòd in hoc, quia ceſſatio illa, quæ eſt quædam deſiſtentia à divinis officijs, & quorundam

dam Sacramentorum administratione, facta ex præcepto Ecclesiæ, assumitur non per modum pœnæ, sed potiùs in signum luctûs gravissimi, quam aliqua Ecclesia concipit ob injuriam enormem sibi, vel Deo illatam: censuræ verò non sic assumuntur, ut patet ex dictis, ut autem cessatio talis indici possit, præter justam causam, publico instrumento, ex consensu omnium vocalium Capituli, expressam, & parti præsentatam, requiruntur aliæ conditiones expressæ in cap: *quamvis de officio ordin. in 6.* consule illud, & tempore cessationis talis, sepulturâ Ecclesiasticâ fideles non exclude.

Degradatio describitur & dividitur.

Nunc ut de alijs pœnis Ecclesiasticis aliquid subjungam; *adverte,* degradationem aliam esse verbalem, & aliam realem. Verbalis est pœna Ecclesiastica, quâ Clericus in perpetuùm privatur omni officio, & beneficio clericali, retento solo privilegio Canonis, & fori: realis verò est, quâ etiam illo privilegio privatur; nam in reali degradatione Clericus, verbaliter degradatus, spoliatur omnibus vestibus, & signis clericalibus, omníque clericali privilegio, ut habetur in cap: *2. de pœnis* in *6.* Ad degradationem Episcopi, requiritur assistentia 12. Episcoporum, vel Abbatum, vel aliorum Prælatorum, ut docet Trid: Sess: 13. cap. 4. de reform: Presbyteri degradationem facit proprius Episcopus, assistentibus 6. alijs Prælatis infulatis. Ad degradationem Diaconi, vel Subdiaconi, sufficit assistentia trium infulatorum Prælatorum. Ad cæterorum autem Clericorum

degra-

degradationem sufficit assistentia aliquorum de Capitulo. Jam ut de irregularitate, pro fine agamus. Sit

Irregularitas describitur. ASSERTIO XVI. Irregularitas bene describitur: obstaculum jure Canonico introductum, directè impediens, quantum est ex se, susceptionem ordinum, usúmque ordinum susceptorum, hæc re ipsâ communis est, & bona.

Per ly *obstaculum* excluduntur censuræ; quia illæ tantùm usum ordinum impediunt, non verò inhabilem ad susceptionem reddunt; excluditur etiam degradatio, quia hæc est pœna tantùm privans jam ordinatum officijs, beneficijs, aliísque privilegijs. additur: *Iure Canonico introductum*, ut excludatur inhabilitas, seu obstaculum jure naturali, vel divino introductum, quo fœminæ, infantes & amentes impediuntur à susceptione ordinum. Additur ly *directè*, ut clariùs excludantur censuræ, quæ quamvis Canonica sunt impedimenta, directè tamen non impediunt susceptionem ordinum, sed potiùs indirectè; nam *excommunicatio* v. g. impedit, quatenus susceptio talis est communicatio cum fidelibus. *Interdictum* impedit quatenus privat auditione divinorum; & *Suspensio* quatenus privat sacris functionibus: *Irregularitas* verò constituit hominem extra numerum eorum qui ad Clericatum assumi possunt; ita ut etiam impediat susceptionem primæ tonsuræ, & quatuor minorum. Dicitur denique *quantum est ex se*, quia per accidens aliquando hoc non facit, v. g. in eo qui jam suscepit Ordines.

Ex

Ex descriptione sic explicata, difficilè non est colligere irregularitatis effectus, quorum primus, & principalis est, inhabilitas ad ordines suscipiendos (nisi mavis dicere quòd inhabilitas illa sit ipsa irregularitas) secundus, privatio actuum ordinis (excipe ordines minores, quorum actus laicus exercere potest) Item si irregularitas non sit ex culpa, ut si Sacerdos inculpabiliter privaretur pollice tunc enim possit audire confessiones, & licitè absolvere, quamvis non celebrare. Tertius effectus est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica, de quo vide Suarem Disp: 24. per totum, sicut & de alijs effectibus irregularitatis. Interea *Irregularitatis effectus.*

Adverte 1. Irregularitatem aliam esse quæ inculpabiliter contrahitur, sine ullo actu proprio, v. g. ob aliquem corporis, vel natalium defectum: aliam verò quæ contrahitur per proprium actum, & hæc subdividitur in eam quæ est ex culpa, & illam quæ non est. *Irregularitas* secundò dividitur in totalem, quæ impedit semper ab omni ordine suscipiendo, & exercendo: & partialem quæ non semper sic impedit. *Divisio irregularitatis.*

Adverte 2. neminem posse actu proprio irregularitatem incurrere, nisi externo, moraliter peccaminoso (loquor de totali) nam pœna gravis, qualis illa est, requirit culpam gravem actu externo notam.

Numerum autem irregularitatum hic subjungere esset prolixum. vide Scholasticos Doctores in 4. d. 22. & 25. & ex Summistis Majolum, Burgasium, Villadiego, & Plo-

 vium,

vium, qui de hac materia integros tomos scripserunt; interea hic breviter magis obvias subjungere volui irregularitates· Itaque

Irregularitates variæ assignantur.

Primò: rebaptizans, & rebaptizatus incurrunt irregularitatem, quoad ordines suscipiendos, & usum susceptorum. Secundò baptizatus ab hæretico, aut in adulta ætate ob periculum mortis tantùm. Tertiò, qui post ratum matrimonium, uxore invitâ, extra statum religiosum, ordines suscipit. Quartò, qui furtivè introducendo se nomine alterius, ordines suscipit. Quintò, exercens ordinem quem non habet, aliter quàm à Laico possit exerceri; Item exercens actum ordinis, violando censuram. Sextò. Hæretici, apostatæ à fide, hæreticorum filij, usq; ad secundam generationem sunt irregulares. Septimò, infames, quales sunt, qui à Judice, ut tales sunt declarati, vel qui in crimen, cui infamia à Iure est annexa, inciderunt; qualia sunt, perjurium in judicio, simonia, sodomia, improbum fœnus, in quo usurarum usuræ exiguntur, sacrilegium, crimen læsæ majestatis, &c. Octavò, incurritur irregularitas ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta. Hanc incurrit qui procurat abortum post animationem fœtûs, non verò qui ante. Dixi *Voluntaria*, quia casualiter alterum occidens, vel mutilans se, vel alium, non incurrit irregularitatem, ut multi docent Doctores, quos Diana citat. Nonò oritur subinde irregularitas ex homicidio, vel mutilatione justa, ut ex condemnatione alicujus ad mortem, quæ sequitur in effectu:

Item

Item incurritur ab eo, qui directè concurrit ad sententiæ mortis prolationem, vel executionem, ut sunt accusatores, testes, advocati, tortores, & lictores. Decimò, incurritur ab illjs, qui in bello offensivo aliquem occidunt, vel mutilant, non verò qui in bello defensivo, aut cum moderamine justæ tutelæ. Undecimò, incurritur ob defectum corporis vel animæ: sic quando quis non potest simpliciter actum ordinis exercere sinè scandalo, fit irregularis respectu istius ordinis, ut sunt omninò illiterati, mutus, cæcus, carens manu, pollice, viribus, oculo, præsertim Canonis, leprosus, fœdo aliquo morbo laborans, à dæmone arreptus, furiosus ratione indispositionis organorum, mancipium, nisi manu mittatur, &c. Duodecimò, omnis bigamus est irregularis, ut patet ex titulo de bigamis. Similiter sunt Bastardi, seu illegitimè nati, modò constet eos esse tales. Irregularitas, quæ incurritur ex defectu alicujus conditionis, requisitæ, tollitur positâ conditione; quæ autem ex defectu natalium, tollitur per Pontificiam dispensationem, vel professionem religionis approbatæ, ita tamen, ut inhabilis sit ad Prælaturas ordinis. quæ denique alijs modis incurritur, tollitur per dispensationem, quam Papa, absolutè loquendo, de omnibus, & etiam Episcopus, loquendo de occulta irregularitate (excipe illam, quæ ex homicidio voluntario & injusto oritur) conferre possunt. Hæc de censuris ad Dei gloriam dicta sufficiant.

A quibus incurritur irregularitas.

Quomodo tollitur irregularitas.

vium, qui de hac materia integros tomos scripserunt; interea hic breviter magis obvias subjungere volui irregularitates. Itaque

Irregularitates variæ assignantur.

Primò: rebaptizans, & rebaptizatus incurrunt irregularitatem, quoad ordines suscipiendos, & usum susceptorum. Secundò baptizatus ab hæretico, aut in adulta ætate ob periculum mortis tantùm. Tertiò, qui post ratum matrimonium, uxore invitâ, extra statum religiosum, ordines suscipit. Quartò, qui furtivè introducendo se nomine alterius, ordines suscipit. Quintò, exercens ordinem quem non habet, aliter quàm à Laico possit exerceri; Item exercens actum ordinis, violando censuram. Sextò, Hæretici, apostatæ à fide, hæreticorum filij, usq; ad secundam generationem sunt irregulares. Septimò, infames, quales sunt, qui à Judice, ut tales sunt declarati, vel qui in crimen, cui infamia à Iure est annexa, inciderunt; qualia sunt, perjurium in judicio, simonia, sodomia, improbum fœnus, in quo usurarum usuræ exiguntur, sacrilegium, crimen læsæ majestatis, &c. Octavò, incurritur irregularitas ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta. Hanc incurrit qui procurat abortum post animationem fœtûs, non verò qui ante. Dixi *Voluntaria*, quia casualiter alterum occidens, vel mutilans se, vel alium, non incurrit irregularitatem, ut multi docent Doctores, quos Diana citat. Nonò oritur subinde irregularitas ex homicidio, vel mutilatione justa, ut ex condemnatione alicujus ad mortem, quæ sequitur in effectu: Item

Item incurritur ab eo, qui directè concurrit ad sententiæ mortis prolationem, vel executionem, ut sunt accusatores, testes, advocati, tortores, & lictores. Decimò, incurritur ab illjs, qui in bello offensivo aliquem occidunt, vel mutilant, non verò qui in bello defensivo, aut cum moderamine justæ tutelæ. Undecimò, incurritur ob defectum corporis vel animæ: sic quando quis non potest simpliciter actum ordinis exercere sinè scandalo, fit irregularis respectu illius ordinis, ut sunt omninò illiterati, mutus, cæcus, carens manu, pollice, viribus, oculo, præsertim Canonis, leprosus, fœdo aliquo morbo laborans, à dæmone arreptus, furiosus ratione indispositionis organorum, mancipium, nisi manu mittatur, &c. Duodecimò, omnis bigamus est irregularis, ut patet ex titulo de bigamis. Similiter sunt Bastardi, seu illegitimè nati, modò constet eos esse tales. Irregularitas, quæ incurritur ex defectu alicujus conditionis, requisitæ, tollitur positâ conditione; quæ autem ex defectu natalium, tollitur per Pontificiam dispensationem, vel professionem religionis approbatæ, ita tamen, ut inhabilis sit ad Prælaturas ordinis. quæ denique alijs modis incurritur, tollitur per dispensationem, quam Papa, absolutè loquendo, de omnibus, & etiam Episcopus, loquendo de occulta irregularitate (excipe illam, quæ ex homicidio voluntario & injusto oritur) conferre possunt. Hæc de censuris ad Dei gloriam dicta sufficiant.

A quibus incurritur irregularitas.

Quomodo tollitur irregularitas.

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ V.

An laudes mereretur magnas Papa, qui è medio, centenas, ex annumeratis à Canonistis, irregularitates, tolleret?



COLVMNA VI.

De Privilegijs in genere, & eorum communicatione.

Motivum Scriptoris ad hunc publicandum tractatum.

MAteriam aggredior non solùm utilem, sed etiam religiosæ vitæ imitatoribus maximè necessariam, quam in gratiam Religiosorum omnium (maximè verò inclyti hujus Bohemiæ Regni, vicinarúmque Provinciarum Alumnorum, qui sub me, nostrísque alijs Patribus, tam in privatis Conventuum nostrorum, per Boëmiam, Moraviam, & Silesiam studijs, quam in publicis, celeberrimi, Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis, Domini mei clementissimi, Seminarij, seu Collegij Pragensis Scholis, studia absolverunt) non sinè labore magno, solitâ brevitate, & methodo ex varijs collegi authoribus; ut quæ de privilegijs fusè à Doctoribus, & sparsim tradita sunt, pro complemento totius Theologiæ Speculativæ summæ, in hoc uno comprehendere possim tractatulo: ut sic Reli-

Religiosi in vinea Domini sedulò, & diversimodè laborantes, quibus difficilè est grandes aliorum de privilegijs libros, semper legere, nè dicam emere; & hinc inde portare; sinè incommodo secum semper habere, & memoriæ mandare possint, quæ pro gloria Dei, & animarum salute, à Summis Pontificibus nostris concessa sunt antecessoribus. Qui fusiùs, quæ hic laconicè dicuntur, videre cupit, legat nostræ Scholæ Doctores, Rodericum, Cazarubiam, Cordubam, Hieronymum à Sorbo, Portel, Rodericum juniorem, Mirandam, & Brunonem à Chassaing, qui, ut omnibus notum est, tot tantáque de hac scripserunt materia, ut nihil amplius videatur posse desiderari: Et ut ad rem veniam; inprimis agam de Privilegijs in genere, postea servato ordine alphabetico, de præcipuis omnibus in particulari. Unde sit

ASSERTIO I. Privilegium benè describitur: lex privata specialem aliquem favorem, seu beneficium, concedens. ly *lex* est genus, in quo privilegium cum alijs juribus convenit. ly *privata* est differentia, quâ differt ab illis; & per ly *favorem*, distinguitur à lege imponente gravamen. *Descriptio Privilegij.*

Privilegium sic descriptum, aliud est *reale*, & aliud *personale*; reale est, quod conceditur alicui rei, loco, vel conditioni distinctæ à persona; sic si suspensis aliarum Ecclesiarũ indulgentijs, tempore Jubilæi, nostra hæc eximeretur Ecclesia Nivensis, esset privilegium reale. *Personale* verò est, quod directè uni vel alteri conceditur personæ, v. g. Petro, ut *Divisio Privilegij.*

bis de die celebret, prout in Hibernia Sacerdotes, etiam sæculares solent celebrare.

Privilegij realis subdivisio.

Privilegium reale subdividitur in *particulare*, quòd nimirum uni tantùm loco conceditur, & *generale*, quod conceditur omnibus locis. *Personale privilegium* similiter dividitur in *generale* seu *corporale*, quòd nimirum toti corpori religionis, v. g. Franciscanæ, & singulis membris ejusdem conceditur, & *particulare*, quòd huic vel illi parti tantùm conceditur.

Nullus in particulari renunciare potest privilegio communi.

ASSERTIO II. Privilegio personali communi, seu corporali, nec unus in particulari, nec totum Provinciale Capitulum renunciare potest; secus de privilegio particulari discurrendum est.

Probatur: Renuntiatio est abdicatio rei, quod renuncianti proprium est; sed privilegium toti corpori religionis concessum, non est proprium Petro, v. g. in particulari, vel Capitulo Provinciali: ergo. *Probatur etiam 2. pars:* Privilegium illud v. g. soli Petro concessum est; ergo sinè aliorum præjudicio potest illi renunciare.

Quibus potest repudiare gratiam sibi soli factam.

Dices 1. Capitulum generale potest renunciare privilegio concesso corpori; ergo & provinciale. ℞. Distinguendo antecedens: accedente consensu Pontificio conc: antecedens, sinè illo consensu, nego antecedens & consequentiam: generale enim Capitulum, quamvis religionis nomine congregatum, non potest se solo Guardianos, aut alios Patres privare indultis Pontificijs, Papâ non consentiente, juxta vulgarem illam regu-

regulam: *Inferior non potest, nec tollere, nec abrogare, quod à superiore concessum est* (intellige nisi ipse superior consentiat, aut inferior repudiet privilegium nolendo illo uti).

Dices 2. Greg. XIII. ut refertur in compendio privilegiorum Societatis, Anno 1575 die 3. Maij decrevit, ut nullis penitùs indultis à Sede Apostolica concessis, uti possent personæ ejusdem Societatis, sinè expressa licentia eorundem Superiorum: ergo nec aliarum religionum personæ uti possunt indultis, quibus in generali Capitulo, vel provinciali Patres renunciàrunt. ℞. 1. Negando consequentiam: *nam odia sunt restringenda*, & sic privilegium illud odiosum respectivè ad subditos Societatis, extendi non debet ad aliarum religionum alumnos. ℞. 2. conced: totum; nam cùm Patres capitulares contineant interpretativam voluntatem omnium ordinis personarum, & (loquendo de nostris) quod Leo X. ut videre est apud Rodericum, Tomo 1. qq. Reg: q. 9. art: 2. concessit Capitulis generalibus, & provincialibus facultatem renunciandi indultis omnibus Pontificijs, eáque limitandi; sic authoritate Pontificiâ, & non propriâ, Capitula jam dicta, renunciare possunt privilegijs Pontificijs, & hoc est, quod nos diximus.

ASSERTIO III. Privilegium adhuc dividitur *in odiosum, & favorabile*. Primum, concedit in tantum uni privilegium, v. g. exemptionem à decimis solvendis, quòd alteri noceat. Secundum favorem concedit, sinè præjudicio tertij, hæc non habet difficultatem, nisi ut *Alia Privilegij divisio.*

I 4 *Ad-*

Privilegia odiosa sunt restringenda, & favorabilia extendenda.

Advertas: circa illa duo membra, Regulam hanc juris in 6. *favores sunt ampliandi, & odia restringenda*, maximè esse observandam, sic ut primum non extendatur ultra, quàm verba vulgariter sonant. Secundum verò extendi debet prout rationabiliter potest, sic ut dicamus favorabile privilegium concessum viris, v. g. Franciscanis, extendi ad fæminas illis conjunctas, puta ad nostras Moniales, & è contra. ita Doctores communiter, & nominatim Rodericus, Portel, & Hinriquez, & colligitur ex L. *hoc modo*, art: de condit: & demonst:

Clausula privilegiorum exponuntur.

Quæres 1. quomodo formæ, seu clausulæ, sub quibus privilegia concedi solent, sunt intelligendæ? ℞. quòd ly *motu proprio*, denotat Papam non contulisse privilegium primariò, ad instantiam, & informationem alterius; per ly *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, defenditur privilegium contra præscriptionem, & de novo, in quantum necesse est, validatur, ut post glossam in cap: de *re judicata*, docent Panorm: Felinus, & alij apud Rodericum tomo 1. q. 8. art: 16. ubi dicit, ex illa clausula colligi Papam, clarè scire omnia contraria privilegio, quibus non obstantibus, de potestatis plenitudine illud concedit, per ly *confirmamus & de novo concedimus*, non obstantibus revocationibus Apostolicis, revalidatur privilegium antea extinctum, ut docet collector, *verbo, privileg:* ubi pro se citat, contra Rodericum, Doctores Salmaticenses.

Dices: cum Ruderico, & Cassaing, Innocent:

cent: III. citatum in compendio, verbo *Privilegium*, declarâsse, ly *de novo concedimus*, nullum novum jus, sed potiùs confirmationem jam existentis privilegij concedere: ergo non revalidat privilegium antea mortuum. ℞. Distinguendo antecedens: nullum novum jus in ordine ad privilegia illa ab ipso Innocentio tunc concessa conc: anteced: ab alijs Pontificibus concessa, nego anteced: & consequentiam. Pontifex enim tantùm voluit declarare suam mentem, contra sensum verborum, quomodo aliorum Pontificum, maximè illi succedentium declarare non voluit, nec potuit.

Per ly *modò Tridentino, & sacris Canonibus* (intellige solos Canones Tridentini, quia cùm quodvis privilegium est contra aliquos Canones, seu leges, privilegium esset frustraneum, si per ly *Canones* alij intelligerentur quàm Tridentini) *non adversatur*, non intendit Papa privilegia omnia contraria quovis modo dicto Concilio revocare, sed solùm illa, quorum expresse, & in terminis mentionem facit; & ut sic in particulari revocat. Unde quæ sic in terminis à Concilio non revocantur, confirmantur ab ipso Concilio, quantumvis contraria illi sint, ut patet: nam ordinari extra tempora prohibet Concilium, Sess: 27. cap: 3. per hoc tamen non revocat privilegium suscipiendi ordines extra tempora mendicantibus concessum, ut habetur in declarationibus Concilij Trid: & docent Rodericus tom: 1. q. 8. art: 6. Suares: Miranda, citati à Portel: hic

fol: 867. Per ly *non obstantibus derogatoriarum derogatorijs*, teste Cœlestino fol: 28. revocantur omnia privilegia contraria. Per ly *omni appellatione postpositâ* excluditur, teste Mirandâ tomo 2. q. 45. appellatio quæcunque contra privilegij executionem. Per ly *invocato auxilio brachij sæcularis*: datur judici Ecclesiastico potestas compellendi per censuras judicem sæcularem ad privilegij propugnationem, ut cum Roderico jam citato, art: 15. docet Miranda tom. 2. q. 45. artic: 4. Per ly *non revocatur nisi expressâ illius & ordinis fiat mentio*, denotatur quòd privilegia sic concessa non censentur revocata, nisi in revocatione, hæc, vel æquivalens clausula: *revocamus omnia contraria ac si de verbo ad verbum insererentur non obstante ullo ordine in particulari*, etiam Societatis, v.g. JESU, &c. ponatur. lege Mirandam jam citatum. Interea sit

Requiritur expressa mentio ordinis.

ASSERTIO IV. Pontifex Romanus, in spiritualibus, summam habet potestatem super omnes Episcopos, Reges, & Regna; & consequenter potest concedere leges, & privilegia, sacris Canonibus contraria. hæc est communior inter Doctores, & *probatur* 1. *pars*: tum ex dictis in 1 parte hujus manualis fol: 11. de legibus: tum ex conc: Niceno can: 39. *ille*, inquit, *qui sedem tenet Romæ caput est, & Princeps omnium Patriar: harum*, &c. tum etiam ex Florent. sub Evgenio IV. Sess: 14. ubi definitur de fide. Tum denique ex varijs authoritatibus SS. PP. ac summorum Pontificum, quos adducit

Amplissima Pontificis Romani potestas circa Privilegia concedenda.

ducit noster Challang in suo de privilegijs erudito tomo, cap. I. *Probatur 2. pars*: tum ex Greg. VII. relato dist. 29. & à Petro de Maria, de concordia Sacerdotum. ubi dicit: *Solo Romano Pontifici, pro varietate rerum, temporum, ac locorum, licere leges condere, & SS. PP. regulas temperare.* Tum ex Vrbano I. relato: 25. q. 1. cap. 6. ubi sic habet: *Sunt qui dicunt Romano Pontifici licuisse semper novas leges condere, quod nos valde affirmamus.* tum etiam ex cap: *conquestus* 9. q. 3. ubi Nicolaus primus definit: *Sedem Apostolicam posse honorare antiquam Ecclesiam, ac Rectores ipsius privilegio speciali.* Tum denique, quia approbantibus varijs Concilijs generalibus, Papa concessit varijs, varia privilegia, ut patet ex generali Concilio Viennensi, in Clement: *dudum, de sepulturis*, & ex Later: 5. in Bulla, quæ incipit: *Dudum intra mentis arcana.* Et denique ex Concilio Lugdunensi sub Innocentio IV. in Bulla, quæ incipit: *Volentes.* sed hoc non faceret, nec quotidie à Regibus, Episcopis, Principibus, & Regularibus molestaretur Papa, circa privilegia concedenda & revocanda, nisi posset talia per universam Ecclesiam concedere: ergo potest.

Objicies contra 1. partem: Apost: Hebr: 7. *absque ulla contradictione, minor semper à majori benedicitur*: sed ab Episcopo Ostiensi benedicitur, & consecratur Papa Romanus: ergo Papa est minor illo in potestate. R. conc: maj: seu potiùs illam explicando, & distinguendo, minor sub aliquo respe-

ctu conc: maj: sub omni respectu, nego maj: & concessâ min: distinguo similiter consequ: Papa carens potestate Sacerdotali vel Episcopali, transeat consequ: non carens, nego consequentiam: si enim simplex Diaconus in Papam eligeretur, ut subinde contingere potest, tunc non solùm Episcopus, sed etiam quivis Sacerdos esset major illo ratione characteris, quamvis sub alio respectu ambo essent illo minores.

Objicies contra 2. partem: Potestas Papæ non in destructionem, sed potiùs in ædificationem Ecclesiæ data est; sed hoc esset falsum, si posset contra jus commune, dare privilegia; ergo non potest. *Probatur* min: dando privilegia talia facit, ut membra Ecclesiæ inter se dissentiant; nam privilegiati superbiunt & contradicunt Episcopis; & Episcopi se opponunt illis: ergo. ℞. conc: maj: & negando min: privilegia enim per se divisiones non pariunt; *utens namque jure suo, divisionem non causat*; nisi fortè per accidens, ex alieno scilicet livore, quo contra privilegia religiosis concessa, aliqui moventur, sed frustra; nam supremi Principis potestas subditorum recalcitratione non enervatur: *Et si quæras* quibus motivis ducti sint Pontifices ad privilegia tam varia regularibus concedenda? ℞. quòd inter alia hæc prudenter movere poterant summos Pontifices ad illa impertienda. 1. Religiosorum virtutes, capacitates, indefessi labores in vinea Domini. 2. prompta & expedita eorum obedientia in exequendis summorum Pon-

Privilegia non divisionem, sed unionem generant.

Causa moventes Papam ad Privilegia Regularibus concedenda.

Pontificum mandatis, non solùm in partibus hæreticorum, sed etiam in profectione ad remotissimas incogniti orbis partes. 3. singularis illorum sanctitas, & scientia, quibus medijs tot præclaros Ecclesiæ alumnos quotidie parturiunt. 4. rationabiles multorum sæcularium difficultates, ob quas solis religiosis viris sua peccata confiteri voluerunt. 5. unio perfecta, quæ occasione privilegiorum inter caput universalis Ecclesiæ, ejúsque membra conservatur.

Privilegia quæcunq; Regularibus concessa, adhuc subsistunt.

ASSERTIO V. Probabile est, privilegia omnia regularibus à Pontificibus, & Concilijs generalibus concessa, adhuc in suo firmo robore, & vigore subsistere, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam quoad forum externum; hæc est communis opinio omnium regularium Doctorum, & nominatim Roderici tom: 1. q. 8 art: 10. Mirandæ tomo 2. q. 42: art 3. Cassaing tract: 1 cap. 2. & Portel, verbo *Privilegium* ut autem probetur conclusio

Adverte: Privilegia quædam à Pontificibus concessa regularibus, & ab alijs Pontificibus aliquando revocata, eorundem postea, vel successorum liberalitate revalidata fuisse, & in pristinum vigorem restituta, ut constat ex varijs Pontificum constitutionibus quas citat Baptista Confectius, in summario privilegiorum maris magni, & Miranda in Manua. tom: 2. q. 42. hæ autem sunt constitutiones; Pauli scilicet III. const. 1. Pauli IV. constit: 1. Gregorij XIII. constit: 8. 9. 10. Sixti V. constit: 6. & Clementis VIII. constit: 8. in-

qui-

quibus regularium privilegia revalidata sunt & confirmata. Et hæc sit prima conclusionis probatio.

Confirmatur ab ipso Trident.

Probatur conclusio 2. ex Trident: Sess: 25. cap: 20. de regularibus, ubi expressè dicta privilegia confirmantur his verbis: *in cæterus omnibus privatorum ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa*; ergo privilegia omnia regularium, exceptis paucis, de quibus dubitatur, an post Tridentinum subsistant, à Concilio ipso confirmata sunt.

Potestas Papa circa Canones.

Probatur 3. Pontifex Romanus authoritate propriâ, potest revocare, quæ à Tridentino, & alijs Concilijs decreta sunt, seclusis illis quæ fidem concernunt; sed privilegia concessa religiosis, & à Tridentino (ut aliqui volunt) revocata, non concernunt, immediatè saltem, fidem: ergo Pontificis authoritate revocatio illorum tolli potest; & sic privilegia denuò renovari possunt. *Subsumo*, sed privilegia regularium quomodocunque revocata, ante, & post Tridentinum, denuò ab alijs Pontificibus concessa, renovata & confirmata sunt: ergo de facto sic confirmata subsistunt: major est communis doctrina Scholasticorum, & patet ex dictis Assertione præcedenti. minor à nemine negatur. Unde

Privilegia subsisterũt usque ad Trid.

Probatur subsumptum, ante Tridentinum Sixtus IV. in mari magno, Franciscanis, & Leo X. Dominicanis, concesserunt de novo, & confirmârunt omnia privilegia illis quovis tempore concessa, non obstantibus revocati-

onibus

onibus Concilij Lateranensis. Idem confirmavit ipsum Tridentinum Sess. 25. c. 20. de regul: & concesserunt nobis Franciscanis & consequenter mendicantibus, in privilegijs nobiscum communicantibus, cum his clausulis: *Ex certa scientia, & motu proprio.* Paulus II. & Clemens VII. Paulus IV. Julius III. & Pius IV. quorum Bullas vide in Roderici Bullario. Idem etiam nobis confirmárunt, Pius V. in Bulla quæ incipit: *Ex clementi.* Gregorius XIII. *Ex benigna.* Sixtus V. *Etsi mendicantium.* Clemens VIII. *Ratio pastoralis offi ij.* & Paulus V. in Bulla, quæ incipit: *Injuncti nobis,* cum exquisitissimis clausulis derogatorijs, maximè Conciliorum generalium (excipe Tridentinum) ergo privilegia omnia regularibus concessa subsisterunt usque ad Tridentinum, & defacto subsistunt, nisi in quantum à Trid: sunt revocata. Jam quòd & post Tridentinum subsistant. *Confirmatio privilegiorum franciscanis facta.*

Probatur subsumpt: (loquendo de foro conscientiæ) quia Pius V. Anno 1567. 13. die Martij, ut refertur in compendio Societatis, tit: *Concilium,* & ab Alphonso de vera cruce, in suo Speculo conjugatorum circa finem, vivæ vocis oraculo, ad instantiam P. Alphonsi de Puteo, totius Ordinis nostri S. Francisci Ministri Generalis, concessit fratribus nostris minoribus, ut in foro conscientiæ frui possent quibuscunque Privilegijs, à Pio IV. alijsque Romanis Pontificibus illis unquam concessis, non obstante quacunque revocatione Concilij Tridentini: ergo privile- *Subsistunt in foro conscientia post Trid.*

vilegia illa omnia hodie, non obstante Tridentino, in foro conscientiæ subsistunt.

Dices: Gregorium XIII. anno 1. sui Pontificatûs, revocâsse omnes gratias & privilegia, à Pio V. mendicantibus, contra decreta Concilij Trid: concessa: ergo & illam concessionem, vivæ vocis oraculo nobis factam revocavit. ℟. cum Roderico tom: 1. q. 8. art. 10. distinguendo antecedens, revocavit omnia ab illo concessa, in foro exteriori: transeat antecedens: in foro conscientiæ, nego antecedens, & consequentiam. Pontifex enim tantùm intendit sedare lites & discordias, quæ ob usum in foro externo privilegiorum, & gratiarum, à Pio V. mendicantibus factarum, inter ipsos, & sæculares Ecclesiasticos indies excitabantur; sed usus privilegiorum in foro interno lites illas non fovet: ergo est licitus.

Subsistunt etiam in foro externo.

Probatur: etiam quòd in foro externo adhuc privilegia illa subsistant. Pius V. in sua Bulla, quæ incipit: *Etsi mendicantium*, pleraque privilegia, de quibus dicebatur, quod à Trid: sint revocata, de novo confirmavit, & concessit: ergo defactò sic confirmata subsistunt.

Bulla Gregorij XIII. in tantum *non est recepta.*

Dices: concessionem illam Pij fuisse revocatam à Gregorio XIII. per Bullam: *In tantum*: ergo non subsistit. *Contra* 1. Bulla illa Gregorij non fuit unquam promulgata, nec intimata, ut docent: Peirinus, Henriques, Thomas à JESV, Lamas, Navarrus, Rodericus, Sorbus, & alij multi citati à Cassaing nostro, tract: 1. cap: 5. prop: 5. & 6. ergo non habet vim revocandi alteram.

Deinde Gregorius in dicta Bulla dicit, se ideo revocasse Bullam Pij: quia ad ipsum pervenerat, quòd ipse Pius illam per aliam subsequentem Bullam revocaverat; Sed Pius V. teste Navarro, cap: 25. n. 5. nullam talem Bullam unquam publicaverat: ergo nec Gregorius Bullam illam re ipsâ revocavit; *cessante enim causâ cessat effectus*, ubi in lege, & statuto expressa est causa: ut tenet Rota decis: 337. n. 3. apud Farinaceum part: 1. Recent: Scoccia de Appell: q. 5. n. 18. & alij multi.

Contra 2. Bulla illa Pij quoad declarationes Concilij Trid: defacto viget: ergo non censetur revocata per Gregorij Bullam. *probatur* antecedens, assignando aliquas de clarationes illius, quæ defacto observantur, non obstante Episcoporum aliquorum contradictione.

Bulla Pij V. defacto viget quoad declarationes Concilij.

Prima declaratio est: *quòd possint licitè sæculares* audire Missas diebus Dominicis in Ecclesijs regularium, non obstante Trident: Sess: 24. c. 4. de reform: prout declaravit postea Clemens VIII. & Vrbanus VIII. citati à Roderico juniore resol: 25. n. 5.

Secunda est, *quòd Confessarij monialium* non debeant examinari ab ordinario, non obstante Trid: Sess: 23. c. 15. & Sess: 25. cap: 10. hoc etiam declaravit sacra Congregatio, ut refert Barbosa in remissionibus ad Sess: 25. cap. 10.

Tertia est: *ut Concionatores* regulares possint in proprijs Ecclesijs concionari sine prævia Ordinarij approbatione: hanc quo-

que approbavit ſacra Congregatio Card: teſte Reginaldo lib: 18. num: 123. Richio deciſ: 290. & Barboſa ad Seſs: 5. c. 2. ubi oppoſitum inſinuatur.

Quarta eſt: quòd Epiſcopus non poſſit dare licentiam ulli intrandi monialiũ monaſteria reg: ſubjecta; non obſtante Trid: c. 5. Seſs: 25. Ita etiam declaravit eadem Congregatio citata à Farinaceo, Andræa, & Barboſa in remiſs: ad Seſs: 25. cap: 5.

4. pars funeralis declaratur.

Quinta eſt declaratio cap: 13. de reform: Seſs: 25. nimirum, *quòd quarta pars funeralis* dari debet de illo ſolo quod offertur in die ſepulturæ, ut declaravit ſacra Congregatio relata à Portel. parte 2. cap: 26. num: 4. cum alijs multis.

Ex validitate harum declarationum, & aliarum multarum, conſtat, Bullam illam Pij V. *Etſi mendicantium*, non eſſe revocatam à Gregorio XIII. & conſequenter adhuc ſubſiſtere.

Efficax probatio concluſionis.

Probatur 3, ſubſumpt: & ſimul concluſio directè. Greg: XIII. die 25 Maij. an. 1573 per Bullam quæ incipit: *Ex benigna*, confirmavit ampliſsimâ confirmatione privilegia noſtrorum fratrum minorum, cum clauſula derogatoria ſuæ ante dictæ conſtitutionis: *In tanta*: ergo, cùm non conſtet illa eſſe ab ullo alio Pontifice hactenus revocata, defacto ſubſiſtunt: lege jam dictam Bullam, & de vigore noſtrorum privilegiorum, concluſionísque veritate dubitare deſines. Interea.

Probatur concl: & ſimul ſubſumpt: 4. Pontifi-

tifices Romani Gregorius XIII. & XIV. non obstantibus, Tridentino, & Bulla illa revocatoria privilegiorum Greg: XIII. *ex certa scientia*, confirmarunt, & de novo concesserunt Patribus Societatis JESU omnia privilegia, & gratias, quas nunquam habuerunt ab ipsis, vel eorum prædecessoribus, ac si de verbo ad verbum insererentur, ut patet ex Bulla quæ incipit: *Ecclesiæ Catholicæ*, edita à Greg: XIII. anno 1591; *Sed Societas IESU* habuit privilegia concessa à Pio V. in Bulla, *& si mendicantium*, & per communicationem, omnia alia nostra privilegia (in quantum instituto Societatis non repugnabant) à tempore Julij III. ut habetur in compendio Societatis, & etiam Minorum; ergo illa omnia privilegia manent confirmata jam, non obstantibus Tridenr. & Greg: XIII. revocationibus.

Alia efficax probatio.

Major est certa, ex Bulla *Catholicæ Ecclesiæ*, in qua Pontifex motu proprio, ex certa scientia, & potestatis plenitudine confirmat & approbat, ac de novo Societati concedit omnia privilegia, gratias & indulta, tam à se, quàm à prædecessoribus illi concessa, decernendo quòd illa *nullo unquam tempore sint revocata, aut defectu ullo notari possint, non obstantibus quibuscunque &c.* Minor etiam probatur, tum ex dictis, & dicendis de communione privilegiorum; & consequentia bona est: ergo defacto nostra omnia privilegia subsistunt.

Mendicantes alij gaudent priVilegijs Societatis IESU.

Dices: Subsistere quidem respective ad Societatem, non verò ad nos; nam in Bul-

lis utriusque Gregorij, prohibetur communicatio illius confirmationis & novæ concessionis ad alios ordines. *Contra* 1 nulla fit mentio illius prohibitionis in Bulla: *Ratio pastoralis*: ergo per illam non prohibetur.

Communicatio Privilegiorum Frãciscanis facta.

Contra 2. Clemens VIII. in Bulla quæ incipit: *Ratio pastoralis*, confirmavit & innovavit omnes indulgentias, & gratias nobis Minoritis factas, sive à se, sive à prædecessoribus, etiam oraculo, & per viam communicationis, ac si nobis expresè, & nominatim, de verbo ad verbum, concederentur; ídque ex certa scientia, & de potestatis plenitudine, non obstantibus fortissimis &c. *ubi Tridentino non adversantur*; sed nos habemus (idem dic de alijs communicantibus nobiscum) à Clemente VII. in Bulla: *dum fructus*, 30. Maij, 1520. concessa, communicationem omnium privilegiorum, & gratiarum, quæ mendicantibus vel non mendicantibus regularibus concessæ sunt, vel concedendæ; & communicatio prædicta privilegiorum, Tridentino non repugnat; imò approbando, Sess: 25. cap: 2. alia omnia privilegia, quæ ab ipso revocata non sunt, videtur expresè approbâsse illam communicationem: ergo hodie habemus illam communicationem, & consequenter privilegia omnia mendicantibus concessa, in suo defacto vigore subsistunt, vi concessionis factæ Societati.

Confirmatur hoc: mendicantes gaudent privilegijs concessis, & concedendis alijs religionibus, etiam non mendicantibus, ex concessione Clementis VII. & multorum alio-

aliorum Pontificum; sed Religioni *Cisterciensium*, die 28 Junij, anno 1591. & etiam Congregationi fratrum *Crucigerorum*, fundatis ante Clementem VII. de novo concessit Gregorius XIV. omnia privilegia Societatis JESU: ergo eadem privilegia per communicationem mendicantibus omnibus concessa sunt. lege Rodericum tom: 1. q. 55. art: 7. 11. & 17. Interea pro ulteriori confirmatione veritatis nostræ Assertionis

Adverte: Vrbanum VIII. 12. Calendas Februarij, 1627. omnia mendicantium privilegia, omissâ hac clausulâ: *dummodò non sint contraria Canonibus, & Concilio Tridentino*, communicâsse *Congregationi S. Mauri*, quam tunc approbavit: ergo privilegia illa omnia ab ipso sunt confirmata, & nobis vi communicationis privilegiorum, concessa jam.

Probatur ultimò conclusio: Leo X. Evgenius IV. & Sixtus IV. ut notat Collector nostri compendij, fol. 378. declarârunt nostra privilegia non revocari per generalem privilegiorum revocationem, nisi de illis privilegijs, & nostro etiam Ordine, expresse, & nominatim, fiat specifica mentio; sed Tridentinum nullibi facit talem nostrorum privilegiorum mentionem; ergo privilegia illa non revocavit.

Revocatio Greg: XV. ejusdemq; revocationis confirmatio ab Vrbano 8. facta.

Objicies contra concl: Gregorius XV. die 9. Februarij, 1622. per Bullam, quæ *de exemptorum privilegijs* nuncupatur, revocavit omnia religiosorum privilegia. Et Vrbanus VIII. ejus successor, 3. Idûs Maij, 1625. con-

firmando Dominicanorum privilegia, non confirmavit ea, nisi cum hac clausula: *dummodò hactenus non fuerint revocata;* ergo privilegia illa de facto non subsistunt. ℞. negando consequentiam: nam Bulla illa Gregorij, nec in Hispania, nec Gallia recepta est, ut testantur, Augustinus de Betis, Mercurius Gallicus, Jacobus de Saigues, & alij citati à Cassaing tract. 1. cap. 2. prop. 2. nec etiam in Germania, aut ullibi, quod sciam, recepta est, ut contrarius usus decretis in eadem insertis, evidenter ostendit; nam in Monasterijs exemptis in Bohemia, aut alijs Germaniæ partibus, Episcopus non præest electioni Abbatissarum, nec de Monialium Confessarijs cognoscit; aut in administratione bonorum temporalium earundem Monialium Episcopi se ingerunt (taceo alia multa) quod non omitterent, si Bulla illa esset valida, & recepta.

Deinde Bullam illam regularibus parùm obfuisse, declarat sacra Congregatio Cardinalium, pluribus responsionibus ab eodem Gregorio approbatis, mentem Pontificis explicans, quarum secunda est hæc: Respondit S.*Congregatio in hac parte, constitutionem sanctissimi Domini nostri, nihil novi juris induxisse, nec ullam novam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse; ideoq; vi ipsius constitutionis non posse Episcopos regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, aut temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alia illorum privilegia in administrandis Sacramentis restringere, aut moderari.* ergo

Responde-tur ad objectionem.

ex

ex mente Pontificis, declarata à sancta Congregatione, Bulla illa regularibus parùm obest; & illâ non obstante subsistunt privilegia.

Denique Vrbanus VIII. non solùm confirmando Dominicanorum privilegia, per Bullam, *In plenitudinem potestatis*, confirmavit etiam omnium mendicantium privilegia, gratias & indulta, *quæ hactenus revocata non sunt*, sed etiam illa absolutè, sinè illa, aut simili clausula restrictiva, confirmavit, 12. Calendas Februarij 1627. dum Congregationi S. Mauri à se tunc confirmatam, concessit *Privilegia omnia regularium, tam mendicantium, quàm non mendicantium, à se, aut antecessoribus suis concessa, & etiam à Successoribus concedenda, non solùm per communicationem, sed etiam perinde, ac si illa omnia in specie, eidem Congregationi S. Mauri, per ipsum concessa fuissent*: ergo cùm mendicantes ordines, cum illis monachis in privilegijs communicant, privilegia omnia nobis concessa usque ad Vrbani tempora, per eundem confirmata existunt.

Adde Vrbanum VIII. 7. Februarij 1655. per Bullam quæ incipit: *Aliàs felicis recordationis Greg: XV.* suspendisse omnes, ac singulos articulos prædictæ Gregorij Bullæ, quibus revocantur regularium exemptorum privilegia; ergo Bulla illa non obest. *Vrbanus suspendit Bullam Greg: XV.*

ASSERTIO VI. Probabile est præcipua omnia vivæ vocis oracula mendicantibus concessa, hodie in suo vigore subsistere, ita Rodericus, Portel, Joannes de Cruce, Castaing, & alij multi. *Oracula nostra subsistunt.*

Nostra oracula bullata sunt.

Probatur, Privilegia omnia mendicantibus aliquando concessa per Bullas, & decreta Pontificum, & conciliorum, adhuc subsistunt, ut patet ex dictis Assert: præcedenti; sed oracula omnia mendicantibus, maximè nobis, aliquando concessa, bullata sunt, ut habetur in nostro compendio, verbo *Privilegium*, & in Bulla Leonis X. *In mari magno*, Sixti IV. ac Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Ratio pastoralis*: & Pij V. in Bulla: *Et si mendicantium*; ergo illa adhuc subsistunt.

Objicies: Oracula omnia quomodolibet confirmata, & innovata, revocantur à Gregorio XV. in Bulla: *Romanus Pontifex*, & ab Vrbano VIII. in Bulla: *Aliàs fœlicis recordationis*: ergo ampliùs non subsistunt. ℟. Distinguendo antecedens; oracula omnia quà talia præcisè, transeat antecedens: oracula, id est, quæ vivæ vocis oraculo data sunt, sed postea bullata, id est, per Bullas confirmata sunt, nego antecedens, & consequentiam; nam oracula bullata æquivalent alijs privilegijs per Bullas concessis.

Non omnia oracula sunt revocata per Bullas.

Dixi transeat, nam certum est, legenti prædictas Bullas in illis excipi varia oracula, ut illa quæ sortita tunc fuerunt suum effectum: Item oracula in favorem regularium à sancta Congregatione Cardinalium confirmata, & etiam oracula ad instantiam Regum concessa, &c. Pro sequentium intelligentia

Communicatio Privilegiorū non extenditur ad odiosa.

Adverte: quòd quamvis una religio in privilegijs favorabilibus communicet cum alia; non tamen in odiosis relaxativis, & statui alterius religionis repugnantibus, & per hoc

hoc sæpe in concessione privilegij additur haec clausula: *dummodò regulari observantiæ non repugnet*; & si non adderetur; subintelligi semper debet ex mente Pontificis, qui nunquam relaxare religionem intendit, nisi quando expressè id declarat; odiosa enim (cùm sint pœnæ) restringenda sunt, ut habet regula Juris. Hinc:

Infertur: quamvis detur generalis licentia comedendi carnes die Veneris, in quam incidit festum Nativitatis Domini, privilegium hoc non extendi ad Carthusianos, qui singulari voto adstringuntur ad nunquam carnes comedendum, nec ad nos, qui ex præcepto regulæ tenemur jejunare in sextis ferijs totius anni; in generali enim concessione privilegij, ea censeri debent communicari, quæ ad favorem, non verò ad perniciem, & destructionem conducunt. *Franciscanis non licet carnes comedere die Veneris, in quâ incidit festum Nativitatis.*

Infertur 2. quòd quamvis mendicantibus fiat communicatio privilegiorum Ordinum militarium, id tamen intelligi debet, in quantum regulari eorum observantiæ non repugnant illa privilegia.

Adverte 2. ex dictis Colum. 1. *de virtute, & statu religionis*, inter ordines regulares, sequentes hoc tempore, dici mendicantes: Dominicani, Franciscani, Eremitæ S. Augustini, Carmelitæ, (hi sunt quatuor præcipui ordines mendicantes, qui de Romanæ Ecclesiæ Paradyso ad universam terram scientiæ sacræ, & virtutum aquis irrigandam, egrediuntur: ut declaravit Pius V. in Bulla quæ incipit: *Romanus Pontifex.*) quibus sex sub- *Ordines mendicātes sunt decem.*

ſequentes adjunxit Eccleſia: Servi Beatæ MARIÆ Virginis, Societas JESV, Minimi, Jeſuati Congregationis S Hieronymi, Carmelitæ diſcalceati, & Diſcalceati Sanctiſſimæ Trinitatis.

Regulares non mendicantes. *Regulares* autem non mendicantes ſunt hi: Canonici regulares Lateran: S. Auguſtini, S. Crucis Conimbricenſis, S Salvatoris Bononienſis, S. Georgij in Alga, Canonici S. Norberti, Præmonſtratenſes dicti, Monachi S. Benedicti, Congregationis S. Juſtinæ de Padua, Congregationis exemptorum in Gallia, Congregationis S. Mauri, Congregationis Vallis umbroſæ, Monachi Camaldulenſes. Ciſtercienſes, tam Congregationis S. Bernardi in Italia, regularis obſervantiæ, quàm Congregationis Fulienſis. Monachi Cœleſtini. Monachi Sylveſtrini montis Virginis. S. Baſilij. Carthuſiani. Fratres Spiritûs S. in Saxia. Fratres Congregationis S. Hieronymi Hiſpaniarum. Fratres Congregationis S. Petri de Piſis. Fratres S. Antonij. Fratres Cruciferi. Fratres diſcalceati Provinciarum: Caſtellæ, Legionis, & Granatæ. Fratres Beatæ MARIÆ de mercede. Fratres militiæ JESV Chriſti Portugalliæ. Clerici regulares Theatini, Sommachini, & Minores. Ordo S. Antonij. Clerici miniſtrantes infirmis, & Clerici Matris Dei Scholarum piarum.

Privilegia particularia horum omnium Ordinum non ſcribo. *De particularibus privilegijs* horum omnium ordinum, ſicut & ordinum militarium, non eſt mei propoſiti in hoc manuali agere, viderint ipſi, quæ eos concernunt privilegia, itaque ſit AS-

ASSERTIO VII. * Regularium Deo per vota tria essentialia conjunctorum, quieti & consolationi salubriter provisum est, communicando uni ordini, privilegia, gratias, & indulta, quæ alteri concessa sunt, & conceduntur. hæc est certa, & *Communicatio privilegiorũ prudenter excogitata fuit.*

Probatur: tum quia salubriter Reges & Principes Subditorum suorum quieti consulere volentes, privilegia temporalia unius civitatis, alteri communicant, ut sic unitis animis ad sibi obsequia, & obedientiam præstandam conjungantur: ergò similiter Sedes Apostolica religiosorum ordinibus, sibi præ omnibus Ecclesiasticis arctiori vinculo conjunctis, & adstrictis, salubriter providit communicatione privilegiorum; *ut* (sic loquitur Sixtus IV. in mari magno Augustinianorum) *quos*, inquit, *par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia, & favores.*

ASSERTIO VIII. Privilegijs, gratijs, exemptionibus, & indultis concessis, & concedendis regularibus, sive mendicantes sint sive non, gaudet quivis ordo mendicantium in particulari, in quantum eorum observantiæ, & statui non repugnant, hæc est inter Thomistas, & Scotistas Doctores communis. Et *Communicatio privilegiorũ asseritur & probatur.*

Probatur: ex varijs concessionibus Summorum Pontificum, communicationem privilegiorum inter mendicantes concedentium, & confirmantium, quos fusè adducit * Rodericus tom: 1. q. 55. unam vel alteram adducere sat erit.

Leo

Leo X. indifferens mendicantium Pater, & amator, privilegiorũ communicationem inter illos fecit communem his verbis, in illius Bulla apud Rodericum videndis: *Nos singulos ordines prædictos* (specificat in illa omnes, qui tunc mendicantes erant) *singulásque ipsorum ordinum domos, ubi religiosè vivitur, indifferenter, absque exceptione personarum, devotionis affectum æquâ lance gerentes, omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam spiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa essent, Prædicatorum, Minorum, &c. à dictis prædecessoribus, tam à nobis nostrísque Successoribus, conjunctim vel divisim, in genere, vel in specie, concessa fuerunt, aut imposterum concedentur; illa omnia & singula, ac si nominanter exprimerentur, pro sufficienter expressis tunc habentes, &c. motu proprio, ex mera nostra scientia, & liberalitate, de Apostolicæ authoritatis plenitudine communicavimus, illáque omnia & singula inter dictorum ordinum personas communia fuisse, & esse volumus, &c.* Idem concesserunt & confirmârunt multi alij Pontifices. ut Sixtus IV. Innocentius VIII. Julius II. Alexander II. Clemens VII. Paulus III. Clemens VIII. & Pius V. in Bulla: *Et si mendicantium*: ergo mendicantes communicant in privilegijs.

Communicatio Privilegiorum probatur authoritate Leonis X.

Probatur 2. ex particularibus concessionibus unicuique ex mendicantium ordinibus factа. & 1. tribus ordinibus *S. Francisci*, amplissi-

Communicatio prædicta pro-

plissima gratiarum, privilegiorúmque omnium regularium communicatio, *motu proprio, ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine* conceditur ab his Pontificibus, maximè à Clemente VII. 1525. in Bulla quæ incipit: *Dum fructus uberes.* Julio III. 1550. in Bulla: *Dum regulares.* Paulo IV. 1555. in Bulla: *Clementi.* Pio IV. 1561. in Bulla: *Ex clementi.* Gregorio XIII. 1575. in Bulla: *Ex benigna.* Sixto V. 1587. in Bulla: *Etsi mendicantium.* Clemente VIII. 1597. in Bulla: *Ratio pastoralis*: ergo nobis Minoritis competit illa communicatio.

batur ex particularibus concessionibus factis ordinibus in specie, & 1. nobis. 2. Dominicanis. 3. August: 4. Carmelitis. 5. Paulinis. 6. Societ:

Similiter Dominicanis ex speciali Bulla Leonis X. eadem communicatio convenit. *Eremitis S. Augustini*, ex Bullis Alexandri VI. Julij II. & Leonis X. Item *Carmelitis* convenit, ex Bullis Clementis VII. Pauli III. Clementis VIII. Pauli V. Convenit etiam *Paulinis*, seu minimis, ex concessione Clementis VIII. & Pij V. Convenit *Societati IESU*, eorúmque personis, domibus, ac Collegijs, ex concessione Pij V. in Bulla: *Dum indefessa.* & Gregorij XIII. in Bulla: *Ascendente.* edita 1584. cum hac tamen clausula; ut usus privilegiorum dependeat à beneplacito P. Generalis, seu deputatorum ab ipso. *Iesuatis*, ex concessione Pij V. & Greg: XIII. Convenit denique *Servitis*, ex concessione Pij V. Vide compend. Min. & Societatis, verbo *Communicatio.* Item & Rodericum tomo 1. q. 55. ubi Bullas Pontificum videre poterit. Interea sit

Assert: IX. Privilegia omnia, & indulta, cōcessa

cessa, vel concedenda fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, eorúmque domibus, Procuratoribus, Syndicis, Laicis, seu Conversis, competunt etiam Monialibus S. Claræ, S. Catharinæ Senensis, Tertiarijs utriusque religionis, in clausura viventibus, nec non alijs Monialibus sub cura jam dictorum Fratrum viventibus, earúmque domibus, Syndicis, & Conversis, in quantum earum sexui, & statui non repugnant. hæc est certa, &

Communicatio privilegiorũ respectivè ad Moniales nostras extenditur ad utriusque Relig. Moniales.

Probatur concl: & 1. de Monialibus S. Claræ, varijs diversorum Pontificum Bullis, sic concesserunt Innocentius IV. anno 1246. in Bulla: *Cùm sicut* apud Wadingum, in reg: tomi 1. Alexander IV. 1257. in Bulla: *Meritis sacræ.* apud Wading: in reg. tom. 2. Idem amplissimè concessit Bonifacius VIII. in Bulla: *Felicis recordationis.* apud Wading. in reg: tom 3.

Probatur, etiam de utriusque religionis Monialibus, tum ex Bulla Sixti IV. quæ *aurea* dicitur: edita anno 1479. in qua *Prædicatorum, & Minorum ordinum Monialibus, & earum Monasterijs, locis, Abbatissis, Prioriffis, Procuratoribus, Syndicis, & oblatis, seu laicis, omnia & singula privilegia, gratiæ, & indulta &c. fratribus concessa, vel concedenda, quatenus eorum sexus non repugnant, conceduntur.* Idem concessit jam dictis monialibus Bonifacius VIII. Leo X. & Clemens VII. ut videre est apud Rodericum in Bullario.

De Monialibus Tertij ordinis (nostræ in communi viventes Elisabethæ dicuntur) probatur tum ex Bulla aurea Sixti IV. & alia Leo-

Item ad Tertiarias.

Leonis X. confirmata a Clemente VII. Pio IV. Paulo IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. quorum Bullas citat Miranda q. 46. art. 2. & compendium nostrum, verbo *Tertiarij*; Prædicti enim Pontifices concesserunt Tertiarijs utriusque sexûs privilegia omnia fratribus concessa, ut postea inferiùs dicemus, agendo de privilegijs in particulari, sub litera T.

Probatur etiam concl. de alijs Monialibus mendicantium, & maximè nobis commissis, & subjectis, ut sunt: Moniales immaculatæ Conceptionis (quæ Clarissæ non sunt) in Hispania. *Probatur*, inquam, ex concessionibus Leonis X. & Bonifacij VIII. renovãtis literas Innocent. IV. quibus *statuit*, & *declaravit*, quòd *quæcunque Moniales commissæ fuerint gubernationi Fratrum Minorum, virtute Apostolici indulti, gaudeant privilegijs concessis & concedendis Fratribus Minoribus, & Monialibus S. Claræ.* ita habet compendium nostrum verbo: *Communicatio*, & verbo: *Moniales*. Portel. eodem verbo: Miranda suprà citatus, & Rodericus Junior resol. 116. fol. 835. *Item ad omnes Moniales subjectas mendicãtibus.*

ASSERTIO X. Varij ordines non mendicantes, tam monachales, quàm non monachales, gaudent privilegijs mendicantium. *Probatur*; *Congregationi Canonicorum Reguli Lateran*: privilegia illa conceduntur ex Bulla Pij V. quæ incipit: *Supernæ dispositionis arbitrio*, data 1. Septemb. 1567. & Julij II. anno 1512. in Bulla quæ incipit: *Inter cæteros*. *Canonicis in Alga* concedun- *Regulares non mendicantes gaudent privilegijs mendicãtium.*

tur

tur ex concessione Pij V. 1569. in Bulla: *Ex incumbente nobis*. *Canonicis Pramonstratensibus* convenit illa communicatio ex concessionibus Grego XIII. & Clementis VIII. ut docet Rodericus Junior. resol. 116. n. 44. *Monachis S. Benedicti* ex concessione Evgenij IV. Julij II. Pij V. ,& Gregorij XIII. qui illis communicavit omnia privilegia ordinis Cistercienfis? & cùm ordo ille S. Benedicti in varias sit divisus Congregationes, sic cuivis in specie Congregationi, ex varijs Pontificum concessionibus, communicatio privilegiorum convenit. & 1. *Congregationi S. Iustinæ de Padua*, ex concessione Gregorij III. in Bulla, *Æquum reputamus*. *S. Mauri*, ex concessione Vrbani VIII. in Bula: *In supereminenti*. *Vallis umbrosa*, ex concessione Pij V. in Bulla: *ex superna dispositionis*. *Monachis Camaldulensibus* convenit ex concessione Gregorij XIII. 1519. in Bulla: *ex injuncto nobis*. Convenit etiam *Monachis Cistercienfibus* Congregat: Italicæ, & etiam Fulienfis, ex concessionibus amplis Gregorij XIV. 1519. in Bulla: *Romanus Pontifex*. Sixti V. 1587. in Bulla: *Etsi specula*, Pauli V. 1606, in Bulla: *Divinà disponente*. & alia 1607. data, quæ incipit: *In supereminentis*. *Monachis Cœlestinis*, ex concessione Vrbani VIII. 1624. in Bulla; *Sacrosancti*. *Monachis Sylvestrinis*, ex concessione Pauli V. 1616 in Bulla; *Religiosorum*. *Montis Virginis*, ex concessione Pauli V. 1611. in Bulla, *Pastoralis*. *Monachis S. Basilij*, ex concessione Gregorij XIII. 1579. in Bulla, *Benedictus*.

Concessiones speciales Congregationibus & ordinibus facta.

Car-

Carthusianis, ex concessione Gregorij XV. 1623. in Bulla, *Ad uberes*. *Fratribus Spiritus Sancti in Saxia*, ex concessione Sixti V. 1586. in Bulla, *Exigit*. *Fratribus Congregationis S. Hieronymi*, ex concessione Pij V. 1567. in Bulla, *Supernæ dispositionis*. *Fratribus Congregationis S. Petri in Pisis*, ex concessione Pij V. 1571. in Bulla, *Religionis*. *Fratribus S. Antonij*, ex concessione Vrbani VIII. 1624. ut videre est in Bullario. *Fratribus Crucigeris*, ex concessione Gregorij XIV. anno 1591. in Bulla, *Romanus Pontifex*. *Fratribus discalceatis SS. Trinitatis*, ex concessione Pauli V. 1609. in Bulla, *Catholicæ Ecclesiæ*. *Fratribus B. M. Virginis de mercede*, ex concessione Leonis X. & amplissima confirmatione Vrbani VIII. ut videre est in Bullario. *Clericis Theatinis*, ex concessione Clementis VII. 1533. in Bulla, *Dudum pro parte*. *Clericis Sommachinis*, ex concessione Pauli V. 1607. in Bulla, *Ex qua divina Majestas*. *Clericis Minoribus*, ex concessione Gregorij XIV. 1591. in Bulla, *Romanus Pontifex*. *Clericis ministrantibus infirmis*, ex concessione Gregorij XIV. 1591. in Bulla, *Illius qui pro gregis*. Et denique *Clericis Matris Dei* Scholarum piarum (his, Excellentissimus & Illustris: Dominus D. Bernardus Comes à Martinitz, Eques aurei velleris, & supremus in Regno Boëmiæ Burggravius, ædificato nobis Franciscanis priùs ibidem pulcherrimo Conventu, fundavit in sua Slanensi Civitate, sumptuosum Collegium, dotavitque annuis redditibus, quibus *Comes de Martinitz*

L in

in æternùm, Patres abundanter sustentari possunt) ex concessione Gregorij XV. Anno 1622.

Authoris intentio non est de omniũ Regularium privilegijs agere.

Si particularia omnium jam nominatorum ordinum privilegia inscribere vellem, non *manuale*, sed *humerale*, cōmpendiolum hoc intitulari deberet; satis est, quòd mendicantes participent in privilegijs cum non mendicantibus; & è contra, non mendicantes jam nominati, cum mendicantibus, in quantum horum, vel illorum statui non repugnant: scribat qui vult, de non mendicantium privilegijs; ego autem de mendicantium,& maximè Franciscanorum, prærogativis,in hoc opusculo solicitus ero; qui de ordinum militarium privilegijs videre vult, legat illorum constitutiones, sicut & utrumque Rodericum, seniorem tom: 1. q. 55. & juniorem resol: 116. interea sit

Privilegia concessa uni monasterio communicantur omnibus Conventibus ordinis.

ASSERTIO XI. Privilegia concessa uni Monasterio mendicantium, vel Ecclesiæ, fiunt communia hoc ipso omnibus alijs Conventibus, & Ecclesijs ejusdem Ordinis. Ita Rodericus tomo 1. q. 55. art. 18. Portel, & compendium verbo: *communicatio.*

Probatur: Privilegia omnia concessa uni Monasterio ordinis S. Hieronymi In Hispania, ex concessione Pij IV. (ut habetur in compendio ejusdem ordinis, titulo: *Extensio privilegiorum*) extenduntur ad omnia alia ejusdem ordinis Monasteria; ergo privilegia concessa uni Conventui, vel Ecclesiæ ordinum mendicantium, extenduntur ad alia ejusdem ordinis Monasteria. antecedens est cer-

certum: *probatur* igitur consequentia. Ordines omnes mendicantes gaudent privilegijs omnibus favorabilibus ordinis D. Hieronymi, ut patet ex dictis; ergo gaudent illo privilegio concesso à Pio IV. ut quod uni Conventui conceditur, concedatur similiter omnibus alijs Conventibus.

Confirmatur hoc; concessione factâ à Clemente VIII. Conventui Salmanticensi ad S. Stephanum, ordinis Prædicatorum, ut nimirum *recipere possint novitios sinè prævijs informationibus à Sixto V. in sua Bulla requisitis*, gaudet hodie totus ordo Prædicatorum, & etiam Minorum; ut experientia constat: ergo privilegijs concessis uni ordinis Conventui, vel Ecclesiæ, frui potest totus ordo; & consequenter quivis aliùs participans cum illo in privilegijs.

Probatur exemplo Dominicanorum.

Hinc obiter adverte, quòd quamvis quivis ordo mendicantium gaudeat privilegijs alterius. v. g. ordo S. Francisci Privilegijs Patrum Societatis, & è contra; non tamen Indulgentijs concessis Ecclesijs unius religionis, gaudet quævis Ecclesia alterius ordinis; quia Indulgentia non est privilegium; & etiam quia aliàs singulis diebus in quavis regularium Ecclesia lucrari possent plenariæ Indulgentiæ, contra Pontificum mentem; unde sequitur: quòd Indulgentias Portiunculæ, extra nostras Ecclesias, nemo consequatur in aliena.

Portiunculæ indulgentias extra nostras Ecclesias, nemo lucratur.

Iulius tamen II. ut refertur in compendio, verbo, *Indulgentia*, & à Roderico jam citato, arit 20. concessit ordini Prædicatorum, ut

Gratia Prædicatoribus facta à Iulio II.

ut in festivitatibus S. Dominici, & aliorum dicti ordinis Sanctorum, privilegijs frui possent, & gaudere indulgentijs plenarijs ab ipso, & alijs Pontificibus, visitantibus nostras Ecclesias, in festivitatibus nostrorum Sanctorum concessis; & sic, vi hujus concessionis, sicut suspenditur interdictum in nostris Ecclesijs, in festivitatibus nostrorum Sanctorum, & plenariæ consequuntur Indulgentiæ, sic etiam suspenditur in Ecclesiis aliorum communicantium nobiscum in privilegijs, dum illorum Sanctorum festa celebrantur, & plenariæ consequuntur Indulgentiæ.

Communicans se potest vi privilegij defendere.

ASSERTIO XII. Communicans in privilegijs concessis alicui ordini, potest se defendere contra dictum ordinem, vi talis privilegij sibi communicati, sicut contra quemcunque alium.

Probatur: Privilegium sic communicatum, efficitur proprium illius, cui per communicationem convenit, ac si illi primò fuisset concessum, ut post Cordubam, Rodericum, & Mirandam, citatos à Cassaing, tract: 1. cap. 3. prop. 9. tradunt privilegiorum collectores omnes: ergo illo privilegio potest se tueri tam bene, ac si ipsi primò concessum fuisset; & per hoc patet, quòd vi privilegij nobis Franciscanis concessi, quo prohibetur alijs religiosis, ut non ædificent ullum Conventum, aut Ecclesiam, intra trecentas cannas propè nostrum Conventum, Paulini, qui per communicationem, dicto gaudent privilegio, possent se contra nos tueri, & sic impedire, vi illius privilegij, nè nos propè ipsos ad trecentas cannas fabricam erigamus.

ASSERTIO XIII. Dubia regularium privilegiorum, in illorum sunt interpretanda favorem; talísque interpretatio ad solum Pontificem, vel regularium Superiores spectat. *Probatur* 1. *pars*, ex concessione Alexandri VI. factâ Congregationi Benedictinorum Vallisoleti 1501. ut refertur in compendio Societ: JESV, §. 4. his verbis: *Sic* inquit, *ut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum regularium, semper per juris peritos, & alios judices, in favorem regularium fiat interpretatio*; ergo. Hinc *Dubia in favorem Regularium interpretanda sunt.*

Infertur: quòd in dubio rationabili de validitate privilegij, semper censendum sit illud valere, ut cum utroque Roderico & Portel docet author compendij privilegiorum Societatis, §. 4. Jam *Si dubitatur, tenendum est valere.*

Probatur 2. *pars*, tum ex cap: *cùm venisset*, de judice: ubi Innocentius III. hæc subdit: *cùm super privilegijs Sedis Apostolicæ causa versatur, nolumus de ipsis per alios judicari*: tum quia illius est legem & privilegium interpretari, cujus est condere, juxta Clementem IV. in Bulla: *Ordinis vestri*, concessâ in favorem Minorum, & Prædicatorum fratrum, ubi *inhibetur strictè omnibus Ecclesiarum Prælatis, nè interpretari præsumant privilegia, & indulta fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, sive quæ clarâ interpretatione non indigent, sive quæ dubia continent, quia*, inquit, *ejus est privilegium interpretari, cujus est condere.*

Dixi, regularium Superiores, quia ordinum Generales, ex concessione Clementis

Superiores possunt interpretare privilegiũ. VII. in Bullâ: *Ad uberes.* & Julij II. in Bulla: *considerantes.* possunt privilegia interpretari. Quomodo amittitur privilegium per non usum, vide Rodericum juniorem resol: 116. num. 7. & Cassaing. tract. 1. cap. 5. Interea sit:

Inhibitio Ordinarijs facta, ne Regulares in executione privilegiorũ impediant. ASSERTIO XIV. Ordinarijs locorum, alijsque quibuscunque, gravissimis sub pœnis & censuris inhibitum est, nè directè, aut indirectè, regulares in suorum privilegiorum executione, & possessione molestare præsumant. ita Henriquez lib: 17. de Indulg. cap. 24. pro se citans plurimos Doctores sæculares, & regulares, & ut probetur conclusio:

Adverte: Episcopum duobus modis posse impedire privilegij executionem. Primò, directè, & formaliter se privilegio opponendo, Religiosòsque in illius possessione inquietando; ut v. g. si impediret nè regularis præsentatus, & approbatus, audiat confessiones sæcularium, aut Eucharistiam administret. Secundò, indirectè, quando v. g. omissis regularibus privilegiatis, Episcopus prohibet sæcularibus suæ diœcesis, ne privilegijs regularium utantur, consitendo v. g. illis. Jam

Probatur concl. 1. tum ex Bulla Nicolai IV. quæ incipit, *Etsi cunctorum.* in qua Pontifex expressè declarat *excommunicatos, ipso facto, omnes Archiepiscopos, Episcopos, eorúmq; Vicarios, qui molestant, inquietant, aut turbant regulares, in executione suorum privilegiorum.* tum ex Sixto IV. in Bulla aurea, quæ incipit: *Sacri Prædicatorum*, in quâ etiam

sub

sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ, & suspensione à regimine & administratione suarum Ecclesiarum prohibetur Episcopis, aliisque Prælatis, idem. Tum denique ex Leone X. in Bulla, *Exponi vobis fecerunt dilecti filij.* (hujus authenticum in Conventu Recollectorum nostrorum Burdigalæ servatur, teste Chassaing) in favorem fratrum Minorum edita, & à Pio V. in Bulla: *Etsi mendicantium*, confirmata, in qua compendiosè repetuntur, & confirmantur omnes pœnæ, & censuræ ab alijs Pontificibus latæ, contra injustos privilegiorum nostrorum invalores.

Confirmatur hoc: Honorius III. in cap: *Ampliùs.* de privilegijs, vocat modum illum indirectum, quo aliqui Episcopi per censuras, abstrahebant populum ab usu privilegiorum, regularibus concessorum; *Iudicium Iudæorum*, quia sicut Ecclesia, quæ Judæos excommunicare non potest, *quia foris sunt*, sub excommunicatione prohibet fidelibus, nè cum illis, in certis rebus, communicent; sic & illi Episcopi *Antiregularistæ* (de quibus Papa loquitur) cùm regulares exemptos excommunicare non poterant, sæcularibus subditis, nè regularium privilegijs, sibi commodis, & utilibus, utantur, sub excommunicatione injungebant. Unde Papa in eadem Bulla hæc subdit: *Nolentes igitur, hæc crebris ad nos clamoribus jam prolata, ulterius sub dissimulatione transire, vobis universis, & singulis, mandamus, quatenus hujusmodi sententias, in fraudem privilegiorum nostrorum de cætero non feratis; quia si super hoc ad nos denuò*

Vocatur Iudicium Iudæorum.

nuò clamor ascenderit, non poterimus conniventibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum severitate debita castigemus.

Decretum S. Congreg. in favorē Religiosorum.

Hæc omnia confirmat, non parùm, sequens sacræ Congregationis Cardinalium decretum, Episcopo Salernitano, regulares in possessione suorum privilegiorum molestanti, directum, quod habetur in registro ejusdem Congregationis, fol. 139. *Advertat*, inquit, *Dominatio Vestra, procedere cum circumspectione, cum religiosis, nisi velit se multis censuris irritare, quatenus fortasse jam non sit, quia novit eos habere infinita privilegia, & non esse subditos Ordinario:* ergo periculosè agunt, qui regulares in possessione suorum privilegiorum molestant; lege Mirandam q. 42. qui citat 16. summos Pontifices, qui non solùm privilegia regularibus concesserunt, & confirmârunt, sed etiam sub gravissimis censuris & pœnis prohibuerunt omnibus, nè in possessione suorum privilegiorum eos impedire audeant. Unde cùm juxta Jurisconsultorum axioma: *Beneficium Principis debet esse immobile, & Princeps ipse immobilis, sicut lapis angularis, & sicut polus in cœlo*, teste Baldo; sic censendum est, privilegia regularibus à tot universalis Ecclesiæ concessa, & confirmata Principibus, adhuc in suo valore subsistere, juxta illud cap. *autem.* 25. q. 2. *privilegia Ecclesiarum* (inquit Anicetus) *& Sacerdotum intemerata, & inviolata, cunctis decernimus manere temporibus*; & aliud non dissimile, Papæ Leonis ibidem citati: *Pri-*

16. Pontifices nostra Privilegia confirmârunt.

vilegia (inquit) *Ecclesiarum, & Monasteriorum, sanctorum Patrum authoritate instituta, nullâ possunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari, in qua necesse est, hujus sanctæ Sedis Pontifices, perseverantem exhibere famulatum.* Vide Rodericum, & Mirandam hic.

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ VI.

An Regularium privilegia Ordinario sint præjudiciosa?



COLVMNA VII.

De Privilegijs particularibus incipientium in A. B. C.

Cum ordo Alphabeticus primum inter privilegiatos locum Abbatibus concedat, sic de illis primò agemus. Itaque *advertere*, Abbates alios esse benedictos, alios non benedictos. Benedicti rebenedici non possunt, quamvis ad secundam transirent Abbatiam; secùs dicendum est de Abbatissa, cujus benedictio longè minor est Abbatis benedictione, ut tenet glossa in cap: *Attendentes*, §. *statuimus*, n. 20. *Abbas.* *Abbatum distinctio.*

Abbates non benedicti, alij sunt benedicendi tempore opportuno ab Episcopo (sicut est modò Reverendissimus Dominus Siardus Fal- *Siardus Falconi Siloensis Abbas.*

Falconi, Siloënsis in Bohemia dignissimus Abbas, meúsque singularissimus Patronus, canonicè electus, & brevi, ut spero, ab Eminẽtissimo Principe, Cardinali ab Harrach consecrandus) alij verò qui nunquam benedicuntur, ut sunt Abbates triennales in Hispania, & alijs aliquibus in partibus. His notatis, sit

Abbates non benedicti gaudent privilegijs benedictorum,

ASSERTIO I. Abbates non benedicti gaudent omnibus, & singulis honoribus, praeminentijs, privilegijs, ac insignijs, quibus gaudent benedicti, est communis, &, *Probatur:* Abbates triennales qui nunquam consecrantur, ex concessione Evgenij IV. 1437 facta Cisterciensi familiae in Hispania, gaudent omnibus privilegijs, & insignibus Abbatialibus, quibus frui possunt Abbates benedicti; & etiam ex concessionibus Julij II. facta ijsdem Cisterciensibus, & Leonis X. facta Camaldulensibus, ut videre est apud collectorem privilegiorum Cisterc: tit: *Abbas.* & Mirandam, tom: 1. q. 38. art: 9. conclus: 3. ergo Abbates non benedicti gaudent privilegijs benedictorum.

Possunt conferre minores non verò majores ordines.

ASSERTIO II. Abbates omnes, sive benedicti sint, sive non, possunt primam tonsuram, & quatuor minores ordines conferre suis monachis, etiam non professis; ordines autem majores conferre non valent, ubi Tridentinum est receptum.

Probatur 1. *pars*: Concilium Tridentinum Sess: 23. cap: 10. Abbatibus qualitercunque exemptis, solùm concedit facultatem conferendi primam tonsuram, & quatuor minores;

nores; & hoc regularibus ipsis subditis; non obstante quacunque consvetudine contrariá: ut declaravit etiam sacra Congregatio 3. Maij, 1594. ergo ubi Tridentinum est receptum, Abbates majores ordines conferre non possunt.

Dixi: ubi est receptum, quia ubi non est receptum, possunt Abbates gaudere privilegio Innocentij VIII. in Bulla quæ incipit: *Exposcit tuæ devotionis*, quo concessit Abbati Cistercienli, aliísque quatuor primis Abbatibus illius ordinis, facultatem conferendi suis monachis, sacros Subdiaconatûs & Diaconatûs ordines. *Et si quæras*, an in Bohemia, & Moravia sit Concilium receptum? Rx. me, non obstante diligenti inquisitione non potuisse invenire, quòd sit receptum, quoad omnia; imò contrarius usus in multis videtur docere quòd non: quoad hoc saltem decretum video, quod bene observatur ab Abbatibus; nam non conferunt suis subditis ordines majores, quod vix fecissent, nisi de receptione Concilij illis constaret.

Ubi Trid. non est receptum possunt ordines sacros conferre.

Trid. quoad omnia in Bohemia receptum non est.

ASSERTIO III. Possunt Abbates dare literas dimissoriales suis subditis, ad sacros suscipiendos ordines à quocunque Episcopo Catholico; & de licentia Ordinarij conferre quatuor minores sæcularibus, & regularibus, habentibus licentiám suorum Superiorum. Item liberè & licitè vi officij, possunt, uti mitrâ, annulo, baculo, aliísque Pontificalibus insignijs, sicut & solemniter benedicere populo. hæc est communis, &

Probatur 1. *pars*: ex concessionibus Leonis

Prærogativa Abbatum. nis X. & Pauli III. confirmatis à Clemente VIII. in Bulla; *ut ea.* apud Rodericum tom. 1. q. 8. art. 5. ubi etiam citatur sacræ Congregationis declaratio in favorem conclusionis nostræ; ergo est vera.

Possunt sæcularibus & regularibus minores conferre. *Probatur* 2. *pars*: non deest Abbatibus potestas & jurisdictio in ordine ad tales sæculares, vel regulares ordinandos; ergo possunt illos ordinare, habito consensu Episcopi, & suorum Superiorum. *Probatur* antecedens: quia Tridentinum jam citatum, ubi limitat privilegium ad solos regulares subditos, tantùm intendit Abbatem alios non posse ordinare sinè dimissorialibus Episcopi, vel suorum Superiorum, ut docent Armilla verbo: *Abbas*, n. 6. Sylvester ibidem q. 5. Lælius cap: 25. Quaranta in summa Bull: verbo *Ordo*. & Marcellus à S. Benedicto in compendio, verbo *Ordines*. ubi sacræ Congregationis declarationem die 7. Septemb: 1593. in favorem conclusionis adducit. ergo.

Possunt uti Pontificalibus. *Probatur* 3. *pars*: tum quia Pontificalia illa requiruntur ad ordines licitè conferendos; sed ex jam dictis, Abbates omnes, ordines minores licitè conferre possunt; ergo & Pontificalibus jam nominatis uti; tum etiam ex varijs Pontificum concessionibus relatis in compendio privileg: Fuliens: verbo *Abbas*. ut Vrbani IV. in Bulla, quæ incipit: *Ecclesia Romana*. Julij II. & aliorum apud Rodericum tom. 1. q. 28. art. 2. ergo.

In aliorũ etiam Ecclesiis. *Adde*, quòd accedente consensu Episcopi (ut videmus quotidianâ experientiâ, in hisce

ce hæreditarijs domûs Austriacæ Provincijs) possunt in alijs Ecclesijs tam sæcularium quàm regularium prædicta exercere, quæ in proprijs exercent, ergo.

ASSERTIO IV. Abbates possunt omnia ornamenta Ecclesiastica benedicere, calices consecrare, altaria, campanas, portatilia, ciboria, & alia vasa Ecclesiastica, (Chrismate tamen ab aliquo alio Episcopo benedicto) benedicere, ad usum suarum, & aliarum quarumcunque Ecclesiarum; etiam extra suas Ecclesias, accedente Ordinarij consensu; non verò citra illius placitum.

Possunt ornamenta Ecclesiastica, campanas, & altaria benedicere.

Probatur: conclusio ex concessione Innocentij VIII 1489, Cisterciensibus facta, quâ Abbatibus illorum *perpetuis* futuris temporibus conceditur facultas, *quæcunque vestimenta & ornamenta Ecclesiastica, corporalia, vasculàque ad reponendam sacram Eucharistiam, in locis, & domibus dicti ordinis benedicendi, & calices consecrandi, tam pro dicto ordine, quàm si ad eos nonnunquam aliunde deferantur*; hoc privilegium confirmatum est, aliísque communicatum fuit à Gregor: XIV. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. ut habetur in compendio privil: Fuliens: verbo *Communicatio.* Vide Tamburinum de jure Abbatum, tom: 7. disp: 23. q. 13. ubi conclusionem expressè tenet, adducítque privilegia Vrbani II. & Pauli III. circa campanas benedicendas, & Cœlestini V. 1294. citati, etiam ab ArchangeloRomano, circa portatilia, & primarios Ecclesiarum lapides benedicendos,

Obij-

Prærogativa Abbatum. nis X. & Pauli III. confirmatis à Clemente VIII. in Bulla; *ut ea.* apud Rodericum tom. 1. q. 8. art. 5. ubi etiam citatur sacræ Congregationis declaratio in favorem conclusionis nostræ; ergo est vera.

Possunt sæcularibus & regularibus minores conferre. *Probatur* 2. *pars*: non deest Abbatibus potestas & jurisdictio in ordine ad tales sæculares, vel regulares ordinandos; ergo possunt illos ordinare, habito consensu Episcopi, & suorum Superiorum. *Probatur* antecedens: quia Tridentinum jam citatum, ubi limitat privilegium ad solos regulares subditos, tantùm intendit Abbatem alios non posse ordinare sinè dimissorialibus Episcopi, vel suorum Superiorum, ut docent Armilla verbo: *Abbas*, n. 6. Sylvester ibidem q. 5. Lælius cap: 25. Quaranta in summa Bull: verbo *Ordo*. & Marcellus à S. Benedicto in compendio, verbo *Ordines*. ubi sacræ Congregationis declarationem die 7. Septemb: 1593. in favorem conclusionis adducit. ergo.

Possunt uti Pontificalibus. *Probatur* 3. *pars*: tum quia Pontificalia illa requiruntur ad ordines licitè conferendos; sed ex jam dictis, Abbates omnes, ordines minores licitè conferre possunt; ergo & Pontificalibus jam nominatis uti; tum etiam ex varijs Pontificum concessionibus relatis in compendio privileg: Fuliens: verbo *Abbas*. ut Vrbani IV. in Bulla, quæ incipit: *Ecclesia Romana*. Julij II. & aliorum apud Rodericum tom. 1. q. 28. art. 2. ergo.

In aliorũ etiam Ecclesiis. *Adde*, quòd accedente consensu Episcopi (ut videmus quotidianâ experientiâ, in hisce

ce hæreditarijs domûs Austriacæ Provincijs) possunt in alijs Ecclesijs tam sæcularium quàm regularium prædicta exercere, quæ in proprijs exercent, ergo.

ASSERTIO IV. Abbates possunt omnia ornamenta Ecclesiastica benedicere, calices consecrare, altaria, campanas, portatilia, ciboria, & alia vasa Ecclesiastica, (Chrismate tamen ab aliquo alio Episcopo benedicto) benedicere, ad usum suarum, & aliarum quarumcunque Ecclesiarum; etiam extra suas Ecclesias, accedente Ordinarij consensu; non verò citra illius placitum.

Possunt ornamenta Ecclesiastica, campanas, & altaria benedicere.

Probatur: conclusio ex concessione Innocentij VIII 1489, Cisterciensibus facta, quâ Abbatibus illorum *perpetuis* futuris temporibus conceditur facultas, *quæcunque Vestimenta & ornamenta Ecclesiastica, corporalia, Vasculáque ad reponendam sacram Eucharistiam, in locis, & domibus dicti ordinis benedicendi, & calices consecrandi, tam pro dicto ordine, quàm si ad eos nonnunquam aliunde deferantur*; hoc privilegium confirmatum est, aliísque communicatum fuit à Gregor: XIV. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. ut habetur in compendio privil: Fuliens: verbo *Communicatio.* Vide Tamburinum de jure Abbatum, tom: 7. disp: 23. q. 13. ubi conclusionem expreſsè tenet, adducítque privilegia Vrbani II. & Pauli III. circa campanas benedicendas, & Cœlestini V. 1294. citati, etiam ab ArchangeloRomano, circa portatilia, & primarios Ecclesiarum lapides benedicendos,

Obij-

Obijcies: Sacra Congregatio, teste Naldo in summa verbo: *Abbas*, n. 4. declaravit Abbates non posse se ingerere in illis benedictionibus, in quibus requiritur unctio; ergo non possunt consecrare lapides, aut campanas benedicere. ℟. eandem Congregationem ad instantiam Procuratoris Congregationis Cassinensis, 10. Novemb: 1614. declarâsse, decretum illud non concernere illos Abbates, quibus ex Apostolicæ Sedis privilegijs, à Tridentino non revocatis, competit jus talia benedicendi, sicut competit Abbatibus regularium, intuitu jam assignatorum privilegiorum.

Cur mendicantes non gaudent illis privilegijs

Obijcies 2. Prælati mendicantium, ut sunt Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Rectores, Præpositi, & Correctores, gaudent privilegijs regularium non mendicantium, ut antea probavi *col. 6. Assert. VIII.* & tamen non possunt uti Pontificalibus; ergo nec dicti Abbates possunt. ℟. Distinguendo antecedens: pro prima parte, in quantum illorum statui, utilitati, & humili conditioni non adversantur, conc: antecedens, in quantum adversantur, nego antecedens & consequentiam: privilegia enim illa Abbatibus, sub illis terminis concessa, circa calices, lapides, & campanas, non communicantur alijs, qui Abbates non sunt, & quorum spirituali utilitati & regendi modo, nec commoda sunt, nec utilia, secus dicendum est de alijs paramentis.

Possunt tamen, & defactò solent mendicantes in ditionibus infidelium, ubi nulli habent-

beatur Episcopi, non solùm Pontificalibus uti, & quatuor minores conferre (prout de facto utitur nostri Conventûs Jerosolimitani, in monte Sion, Guardianus triennalis) sed etiam confirmationis Sacramentum conferre valent, ex concessione Innocentij IV. in Bulla: *Cùm horâ undecima.* & Leonis X, in Bulla: *Aliàs felicis recordationis*, Nicolaij IV. & Clementis VIII. in Bulla: *Dominici gregis cura*: sed de his postea. *Guardiani Jerosolimitani potestas.*

ASSERTIO V. Abbatissa (idem dic de Priorissa, & alia quacunque monialium Præfecta) Prælata non est: est communis, & *probatur:* fœminæ, ut docent Theologi à Soto in 4. disp. 20. q. 1. art: 4. citati, sunt incapaces potestatis Ecclesiasticæ, & jurisdictionis spiritualis; quia hæ potestates dependent à potestate clavium, & ordinis; ergo & Prælaturæ propriè dictæ, & consequenter non possunt præcepta spiritualia subditis imponere, sed tantùm civilia, sicut matres familiæ, filiabus. *Abbatissæ prælatæ non sunt.*

ASSERTIO VI. In Abbatissam, ut validè aliqua eligatur, debet 20. esse annorum, vel saltem superare trigesimum ætatis annum; & ad minimum quintum inchoare in religione, quibus deficientibus conditionibus, electio erit nulla. *Conditiones requisitæ ad Abbatissam eligendã.*

Prima & secunda pars probatur, ex Trid: Sess: 25. de Reform. cap. 7. docente quòd *deficiente quadragenariâ in monasterio, & in religione, quæ per octo annos laudabiliter vixerat, si talis conditionis alia commodè haberi non potest; possit consentiente Superiore, eligi una,*

una, qua jam assignatas in conclusione conditiones haberet. Jam

Probatur ultima pars: Electio illa nulla est, in qua non servantur à jure communi, maximè Tridentini, requisita; sed Tridentinum jam citatum, requirit, ad minimùm, ætatem à nobis assignatam: ergo illâ deficiente, electio erit nulla. ubi *Adverte*: juxta declarationem sacræ Congregationis, sufficere, si trigesimum ætatis, & professionis quintum, inchoaverit annum, ita Rodericus junior resol: 2. n. 5. & alij apud ipsum.

Vidua eligi potest. ASSERTIO VII. Ad validitatem electionis Abbatissæ non requiritur ut sit virgo, Est contra Mirandam tom: 1. q. 7. art: 6. & alios apud ipsum. *Probatur*, tum ex cap: *nemo Presbyter*. dist. 78. ubi habetur: *nemo* (intellige cum Miranda Abbatissas) *inter diaconissas consecretur, quæ minor sit quadraginta annis; vel ad secundum matrimonium pervenerit*; ubi solæ illæ excluduntur, quæ ad secundas transierunt nuptias, ergo aliæ Viduæ eligi licitè possunt. tum quia Tridentinum jam suprà citatum, recensitis conditionibus, ad validam Abbatissæ electionem, necessarijs, viduitatis nullam facit mentionem; ergo sensit talem conditionem non obstare; tum etiam quia Viduæ aliàs bene meritæ, & in œconomicis Conventuum fortè magis practicæ, nullo urgente Canone, excludi à voto passivo non possunt, sine periculo talis murmurationis, qualis fuit Græcorum, contrà Judæos, Actor: 6. dum *eorum Viduæ despiciebantur in ministerio*, id est, exclu-

excludebantur ab officijs Priorissarum, Abbatissarum, &c. ergo, tum denique, quia longo usu, quo etiam Papalis lex subinde extinguitur (praxíque variarum partium) Christianitatis constat, Viduas fuisse electas in Abbatissas (Portel verbo *Abbatissa.* n. 1. citat, & nominat multas Viduas, quæ Abbatissæ erant) ergo signum est tales licitè posse eligi: lege Portel jam citatum, & Mirandæ fundamenta nulla esse videbis. *Praxis docet Viduas posse eligi.*

Sicut nec Viduas, ita nec illegitimo toro natas, excludo ab officio Abbatissæ, nam tales capaces sunt officij, ut declaravit sacra Congregatio, teste Gavanto, anno 1592. & cum illis in quantum necesse est, dispensare possunt Superiores regulares, vi suorum privilegiorum, ut docet Diana parte 3. resol: moral: tract: 1. resol: 10. *Illegitimi possunt eligi.*

Iam ut expediam alia quæ Abbatissas concernunt; sequentia sunt notanda: 1. ante electionem Abbatissæ, vel Priorissæ, Prælatum regularem obligari sub pœnis gravibus, ad informandum Episcopum, seu ejus generalem Vicarium; ut, teste Cherubino tom: 4. Bull: fol: 102. declaravit sacra Congregatio in declaratione Bullæ 18. Gregorij XIV. *Informari debet Ordinarius tempestivè de tempore determinato electionis.*

Secundò, Superioris regularis, & non Episcopi munus esse, electionis tempus (non incommodum tamen Episcopo) præscribere, quo præfixo, & ab Ordinario neglecto, Superior ad electionem procedere potest, ut declaravit eadem sacra Congregatio, in favorem P. Pauli à Lauda, contra Archiepiscopum Mediolan: ut videre est in nova *colle-*

cta constit. Pontific. ad Seraph: Religionem spectantium. fol. 451.

Tertiò, Episcopum electioni adesse volentem, non Monasterij, sed proprijs expensis vivere debere; ut declaravit Gregorius XV. teste Barbosâ lit: C. n. 14.

Alia concernentia eligendas, & electas, electionisque Præsidem.

Quartò, Præsidem electionis Abbatissæ, sive Episcopus sit, sive regularis, clausuram Monasterij ingredi non debere, (nisi esset periculum subornationis votorum, aut aliqua alia justa causa, prudentum judicio urgens) sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audire, & accipere debere: ita Trid: Sess: 25. cap. 7ò. circa finem.

Quintò, non solùm moniales, sed etiam Præsidem electionis, v. g. Provincialem habere votum in electione Abbatissæ, ut patet ex praxi, tam Episcoporum, quàm etiam Superiorum Regularium; nam sicut præsidens caput est electionis communitatis monialium, sic cum illa unum efficit morale corpus in ordine ad electionem; unde votum debet habere activum, sicut quævis ex monialibus.

Sextò, electionem fieri debere per vota secreta, ut mandat Trid: Sess: 25 cap: 6.

Septimò, nullam habere in electione votum, quæ quartum non inchoaverit annum à die professionis emissæ, ut loquendo de nostris monialibus, habent statuta Vallesolitana.

Octavò, Superioris regularis, & non Episcopi, quantumvis præsentis, munus esse, accipere vota, audiente tamen Episcopo, ut apud Barbosam lit: C. n. 18. declaravit sacra Congregatio, 10. Decemb: 1639.

Nonò,

Nonò, potestatem confirmandi Abbatissas exemptas, non penes Episcopum, sed penes Superiorem regularem esse, qui sub gravi culpa tenetur illam, quæ majorem votorum numerum habuit, confirmare, si aliàs idonea sit. ita tenet *Tambur.* de jure Abbatum, disputat. 9. q. 1. n. 1. *Lesana*, citans sacram Congregationem pro se.

Decimò, Juxta constitutionem Pij V. & Gregorij XIII. Romæ publicatam, die 4. Januarij, 1583. nec Abbatissam, aut Priorissam, ultra triennium posse in officio persistere *Miranda* (nescio quâ authoritate) excipit fundatricem alicujus Conventûs, quæ, secundùm ipsum, potest per 20. annos apud Clarissas continuari.

Undecimò, Abbatissas S. Claræ ex concessione Pauli III. posse dispensare cum suis monialibus in jejunio regulari, ac esu carnium, lacticiniorum, & ovorum, quoties urgente infirmitate judicaverit esse consultum. lege Rodericum, & Mirandam, si plura de Abbatissarum jure scire vis. Interea sit

ASSERTIO VIII. Mendicantium Confessarij de licentia suorum Superiorum, possunt suos fratres professos, novitios, laicos, & moniales, absolvere ab omnibus peccatis, censuris, & pœnis (in Bulla cænæ saltem non reservatis) quomodocunque inflictis; ita tenent Rodericus tom: 1. q. 20. art. 21. Piering. tom. 1. privileg: regular: fol: 86. n. 30. & alij communiter. *Absolutio quoad regulares.*

Probatur concl: 1. Calixtus III. 1457. apud Wadingum, tom. 6. annal: ad annum

1457. n. 87. pag. 404. vivæ vocis oraculo concessit nostris Superioribus omnimodam authoritatem, absolvendi sibi subjectos fratres, ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, excepto homicidio voluntario. *Idem priVilegium* Sixtus IV. anno 1479. in Bulla: *Sacri Prædicatorum*, apud Cherubin: nobis, & Prædicatoribus concessit, & ante nos 1476. in Bulla: *Sedes Apostolica*: & in alia 1473. emanata, quæ incipit: *Pia Vota fidelium.* apud eundem Cherub: concessit Eremitis S. Hieronymi de Pisis: *Omnibus & eorum singulis præsentibus, & futuris, ut idoneus Presbyter sæcularis, Vel regularis ejusdem Societatis, Vel alterius cujusVis ordinis regularis, quem ipsi aut quilibet eorum duxerint eligendum, eos, & quemlibet eorum, ab omnibus & singulis excessibus delictis, criminibus, & peccatis, ac excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis pœnis, sententijs, & censuris, quaVis occasione latis; etiam ab omni labe Simoniæ, & singulis præfatæ Sedi reserVatis, semel in Vita, & etiam in mortis articulo plenariè; in alijs Verò non reservatis toties, quoties opportunum fuerit, absolVere Valeat, & possit.* quo privilegio mendicantes gaudent, in quantum eorum constitutionibus non repugnat. *Idem* etiam vivæ vocis oraculo, 1515. concessit nobis Leo X. apud Rodericum oraculo 64. & *Theatinis*, 1533. Clemens VII. in Bulla: *Dudum pro parte.* quæ privilegia sicut alia omnia ante Trident: concessa, & usu recepta, ab eóque non revocata, confirmata sunt per ipsum Trid;

Possunt Regulares suos absolVere ab omnibus casibus non reserVatis.

Trid: Sess: 25. cap: 20. de regul: in fine, & per Pium V. in Bulla: *Etsi mendicantium*: roborata sunt.

Probatur 2. Loquendo de monialibus ex concessione Clementis VI. 1343. in Bulla: *Religionis*, apud Wadingum in reg: tom: 3. quâ concessit monialibus S. Claræ, ut possint absolvi à Guardianis, quibus subsint, à casibus Sedi Apostolicæ reservatis; sed Novitij, & Conversi, sicut & illarum Novitiæ, gaudent Clarissarum privilegijs; ergo. *Dixi*: *Bulla cœna*, ut abstraherem à difficultate sequentium conclusionum. Jam sit:

Moniales similiter absolvi possunt.

ASSERTIO IX. Possunt Superiores mendicantium, ac de eorum licentia approbati Confessarij, absolvere suos subditos à casibus in *Bulla cœna* reservatis, si excipias hos casus, *schisma, haresis cum relapsu, falsificatio literarum Apostolicarum, conspiratio in Romanum Pontificem, & delatio prohibitorum ad infideles*. Hæc est Roderici, Joannis de Cruce, Ludovici Beja, Henrici Sanches, Molinæ, Sagr: & aliorum citatorum in remissionibus cap: 6. Sess: 24. Trid: lit: G. Est etiam nostri Ludovici de Cruce, in expositione Bullæ *cruciata*, disp: unica cap: 10. dub: 4. edita Romæ, 1634. dum ipse esset sacræ pœnit: Lateran: præsidens; ac Patris Sanctorum Melphien. in comment: ad constitut: nostras cap: 2, stat: 14. §. *dico* 4. qui dum jam dictæ pœnit: Lateran: esset præses, 1643. Romæ suum opus imprimi fecit, & doctè propugnat nostram thesim, animoséque respondit decreto S. Congr: regularium edi-

Regulares possunt suos subditos absolvere à casibus bulla cœna.

to sub Clemente VIII. 1601. & 1602. Renovato verò sub Paulo V. 1617. & sub Vrbano VIII. 1628. respondit etiam ibidem sanctionibus Vrbani VIII. in contrarium conclusionis à multis adductis, quod haud dubiè Romæ non auderet, nisi illius & nostra conclusio probabilem haberet veritatem. Jam

Probatur conclusio 1. Pius V. in Bulla: *Romanus Pontifex*: apud Rodericum tom. 1. q. 61. art. 9. Superioribus mendicantium eandem concessit authoritatem in suos subditos, tam fratres, quàm moniales; quam Concilium Trid: Sess: 24. cap: 6. de reform: concessit Episcopis in sibi subjectos; sed secundùm jam citatos, & nominatos Doctores, Episcopi virtute concessionis Tridentini possunt dispensare; & absolvere à casibus in *Bulla cœna* reservatis; ergo & Superiores regularium idem possunt respectivè ad suos subditos.

Pontificũ varia concessiones & gratia.

Probatur conclusio 2. Gregorius XIII. an. 1573. ut videre est apud Rodericum, inter vivæ vocis oracula, Ministro nostro Generali confirmavit, concessam à Pio V. sæpe citato, facultatem absolvendi fratres, & sorores suæ curæ commissos, ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis: ergo & à casibus *Bulla cœna.*

Idem etiam 1584. ut habetur in compendio Societ: Jesu verbo: *Absolutio.* §. 7. eidem Societati concessit *authoritatem absolvendi omnes sub illius obedientia viventes, ab hæresi, & etiam à relapsu in hæresim.* Similiter Gregorius XIV. 1591. in Bulla: *Illius qui.*

Con-

Congreg: Clericorum ministrantium infirmis, magis amplam concessit facultatem, absolvendi nimirum ab omnibus omninò peccatis, censuris & pœnis (excipe nominatas) nec non dispensandi in irregularitate; sed alij regulares hisce privilegijs per communicationem utuntur; ergo possunt absolvere ab istis casibus, & consequenter à reservatis in *Bulla cœna.*

Probatur 3, tum quia Julius II. ad instantiam Dominicanorum 27. Febr: 1610. ut videre est apud Rodericum: declaravit privilegia à Sixto IV. regularibus in ordine ad suos absolvendos subditos, nunquam revocari per *Bullam cœna.* Tum etiam quia Gregorius XIII. 18. Martij, 1584. ut videre est in compendio Societatis, verbo: *Bulla cœna.* indulsit Societati, ut concessiones illi factæ, non censeantur revocatæ per *Bullam cœna*; ergo vi illarum possunt regulares absolvere à casibus *Bulla cœna.* *Declaratio favorabilis Iulij II.*

Confirmatur: quia *privilegium Principis debet esse firmum & constans,* ut habetur in cap: *decet.* & cap: *quod semel.* de reg: Juris in 6. & ostendi supra in fine columnæ præcedentis; sed privilegia à tot Pontificibus regularibus concessa, non essent firma, si in annuali publicatione *Bulla cœna* semper revocarentur: ergo non revocantur.

Habui ipse (habent defacto alij plurimi in Germania) specialem facultatem *sancti officij supremæ inquisitionis Romana*, per quinquennium absolvendi ab omnibus, & singulis *Bulla cœna* casibus, sub datum Romæ 11. *Probatio ab inconvenienti.*

Calend. Septemb: 1652. & invenitur in Regist: fol. 235. si ergo per publicationem *Bullæ cœnæ* anni immediatè sequentis, facultas illa revocata fuit, deceptus fui per illam concessionem, deceptíque etiam fuerunt, qui à me sæpe absoluti sunt, vi dictæ facultatis; hoc autem nemo prudenter dicet; ergo nec dicere debet, quòd privilegia religiosis, intuitu suorum laborum, per viam contractûs, & remunerationis causâ, perpetuis futuris temporibus concessa, & confirmata, revocentur quotannis, per publicationem *Bullæ cœnæ* Romæ, aut per decisionem sacræ Congregationis ab Vrbano VIII. confirmatam; *ubi enim militat eadem ratio, eadem juris dispositio militare debet.* L. *illud. ff.* ad leg; Aquil. l. *si postulaverit.* §. 2. ff. ad leg. Jul: de adult:

Privilegia concessa sunt per viam contractûs & remunerationis causâ.

Adde: Decretum illud S. Congregationis sub Clemente VIII. emanatum, & ab Vrbano VIII. confirmatum, loqui de Confessarijs omnibus; & solis *per Italiam, extra Urbem degentibus:* ergo non est præjudiciosum regularibus Romæ, & in alijs Christianitatis partibus, extra Italiam degentibus, & consequenter vi suorum privilegiorum à Sixto IV. concessorum, & à Julio II. (ut alios non repetam Pontifices) perpetuis futuris temporibus confirmatorum, absolvere possunt, suos saltem subditos, à casibus *Bullæ cœnæ.*

Decretum Vrbani extra Italiam non obligat.

Dixi in concl: Si excipias, &c. quia casus illi excipiuntur ab ipso Sixto IV. & Julio II. ergo vi privilegiorum à dictis casibus absolvere nequeunt regulares, nisi ad hoc specialem

lem habeant concessionem, de qua expressè mihi non constat.

Ex concl: infertur 1. Regulares posse suos subditos, ab occulta hæresi (cauti sint oportet ubi rigida regnat inquisitio) & Simonia absolvere, sicut & dispensare cum illis in irregularitate contracta, ex bigamia vera, etiam extra forum sacramentale, ut cum multis alijs docet Pater Sanctor: q. 6. fol. 133. *Possunt ab hæresi absolvere, & in Irreguls dispensare.*

Infertur 2. Prælatos regulares (inter quos computandi sunt Guardiani, Rectores, & Priores) posse absolvi à Sacerdotibus quibuscunque, sibi subjectis, ab omnibus casibus, à quibus ipsi Prælati subditos absolvere valent: ita cum multis alijs tenet Peirin: tom: 1. §. 9. & ratio est, quia dicti Prælati non debent esse deterioris conditionis, quàm sint subditi, in ordine ad favorabiles effectus privilegiorum: ergo sicut hi ab illis absolvi possunt, sic è contra, illi ab his absolvi valent, nisi earum statuta aliter disponunt.

ASSERTIO X. Possunt Prælati nostri, aliorúmque etiam mendicantium, absolvere suos subditos non solùm ab hæresi occulta, sed etiam à relapsu ipsius, ita tenent multi apud Rodericum juniorem resol: 3. n. 5. *& patet:* tum ex concessione Alexandri VI. ultromõtanis nostris facta, & citata in monum: nostro. concess: 164. & in compendio nostro, verbo *Absolutio quoad fratres,* §. 18. tum etiam ex concessione Gregorij XIII. die 18. Martij, 1584. quâ Patribus Societatis, facultatem in conclusione assertam, concessit, ut habetur in compendio ejusdem Societatis, verbo *Absolutio.* §. 7. fol. 10. *Possunt nostri absolvere ab hæresi.*

Potestas absolvendi Prælatorũ Ord. Min.

ASSERTIO XI. In nostra religione Minoritica, Generalis, per totum ordinem, Vicarius Generalis, per familiam, Provinciales, in suis Provincijs, & Guardiani, in suis Conventibus, ordinariam authoritatem activam, & passivam absolvendi à reservatis in ordine, habent. qui authoritatem passivam à Generali, vel Provinciali concessam habet, potest absolvi à reservatis, à quocunque Confessario ordinis approbato. hæc est certa inter nostros, & *patet:* tum ex concessione Gregorij XI. & Clementis IV. nobis factis, à Roderico tom: 1. q. 21. art. 3. citatis; & Corduba in addit: ad compendium; ubi docent, quòd *hospites* possint absolvi à reservatis, à Superioribus loci ad quem veniunt; & insuper quod semel approbatus à suo Provinciali, possit audire confessiones quorumcunque fratrum per totum ordinem, nisi vi statutorum, certis personis, certi assignentur Confessarij; prout solet fieri, loquendo de Clericis nostris, qui soli Magistro clericorum confiteri tenentur.

Hospites nostri possunt absolvi.

Obligatio Superiorũ nostrorum.

Quod autem obligationem Superiorum circa facultatem concedendam subditis, ut possint à reservatis absolvi, attinet: Pius V. anno 1571. die 21. Julij, in Bulla: *Romani Pontificis,* quâ *inhibuit Dominicanus, nè virtute Bullæ cruciatæ, sinè Superiorum licentia, absolvant à reservatis,* addit; *ijsdem autem Prælatis in usu hujusmodi potestatis, cum subditis, benignos & faciles se exhibeant, præcipimus:* viderint Superiores, an in hoc Pontificium præceptum frequenter impingant.

AS-

ASSERTIO XII. Non solùm religiosi ipsi, sed etiam eorum Novitij, famuli commensales, nuncij, & procuratores, Capitulo generali ordinis nostri præsentes, per 20. dies immediatè sequentes celebrationem Capituli, per ordinis approbatos Confessarios ad hoc specialiter deputatos, absolvi possunt, semel duntaxat, ab omnibus peccatis, censuris, & pœnis, *à jure*, vel *ab homine* latis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & ab excessibus quibuscunque enormibus, ab irregularitate etiam qualitercunque contracta (excipe irregularitatem contractam ex homicidio voluntario, mutilatione membri, & bigamia) liberari valent; sicque absolutis, & liberatis, plenariam indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum suorum Confessarij concedere possunt: ita Rodericus tom. 1. q. 41. art. 4. citans Sixtum IV. & Evgenium IV. qui prædictam gratiam nobis, & Cistert concesserunt, & Pium IV. qui eandẽ gratiã Congregationi montis Oliveti renovavit, ut videre est in compendio Cister: tit: *Capitulum generale*. §. 8. *Ampla facultas absolvendi omnes Generali Capitulo præsentes.*

Eandem gratiam, vivæ vocis oraculo, ut habetur in eodem compendio, tit: citato. §. 9. extendit Sixtus IV. ad omnes Patres, Fratres, & Conversos, à loco Capituli absentes, qui verè pœnitentes, & confessi pro ejus felici successu, devotè ad Deum preces fuderint. Pro fine dictorum de absolutione quoad fratres. *Extenditur ad absentes.*

Adverte 1. quòd regulares omnes, cum mendicantibus in privilegijs communican-

Gratia singularis Regularibus facta. tes, eorúmque Moniales, & Conversi, ex concessione Sixti IV. confirmata ab Innoc VIII. (ut videre est apud Rodericum juniorem Resol: 3. n. 27. & in compendio Congreg: D. Hieronymi, tit: *Indulgentia.* in mortis articulo absolvi possunt, à quibuscunque prorsus pœnis, peccatis, & censuris, à quocunque Confessario, ac ditari plenarijs indulgentijs, tanquam si in illo actu Confessarius esset Summus Pontifex: & hæc singularis gratia, sortitur semper suum effectum, toties, quoties regularis, in vero mortis articulo prudenter reputatur, constitutus; unde Confessarij debent in hac parte esse circumspecti, nè ex illorum negligentia discedat, hoc thesauro privata, anima ex hac vita; forma autem in tali articulo absolvendi, potest esse talis:

Forma absolvendi. *Dominus noster IESUS Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius, & sanctæ Sedis Apostolicæ, mihi commissâ, in primis absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, deinde eadem authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ; & concedo tibi indulgentiam plenariam, in nomine Patris, &c.*

Nostri 4. vicibus in anno absolvi possunt. *Adverte* 2. quòd omnes fratres nostri, ac sorores, eorúmque privilegijs gaudentes, absolvi possunt quatuor vicibus in anno, diebus quibus illis placuerit, ab omnibus prorsus peccatis, & censuris, & plenariam consequi indulgentiam, ex concessione Evgenij IV. & Leonis X. vide Rodericum citatum. Intercessit

ASSERTIO XIII. Confessarij mendicantium, legitimè præsentati juxta formam *Clementinæ, Dudum. de sepulturis*, & approbati, possunt licitè & validè (saltem per Italiam) absolvere ab omnibus peccatis, & casibus Episcopis reservatis. hæc est Doctorum omnium mendicantium, & etiam non mendicantium, si paucos timidos, & ignoranter scrupulosos excipias. *Mendicātes possunt à casibus Episcopalibus absolvere.*

Probatur: Confessarij nostri talem habent in hoc foro potestatem, ex Clementina *dudum*, qualem habuerunt Curati seu Parochi, de jure communi, tempore Clementis V. sed de jure communi tunc potuerunt, (ut docet Panorm. in C. *super specula*) Curati absolvere à casibus omnibus Episcopis, de jure communi non reservatis: ergo & nostri Confessarij possunt. *Subsumo*, sed casus quos defacto sibi reservant Episcopi, non reservabantur illis tunc, de jure communi: ergo ab illis defacto nostri possunt absolvere.

Dices: Jure communi Trid: Episcopis licere reservare casus, ergo. ℞. Distinguendo antecedens: respectivè ad sibi subjectos, concedo antecedens: ad mendicantes exemptos, nego antecedens, & consequentiam; sicut enim reservatio casuum à Generalibus mendicantium facta, non restringit potestatem Parochorum, superioribus illis Generalibus, non subjectorum; sic nec reservatio casuum ab Episcopis facta, à tempore Clementis V. restringit potestatem à Pontifice factam mendicantibus, à jurisdictione Episcoporum exemptis.

Probatur ex diversis Pontificũ concessionibus.

Probatur concl: 2. ex varijs summorum Pontificum concessionibus, diversis regularium ordinibus factis, Martinus V. 1424. die 11. Augusti, concessit fratribus S. Hieronymi Hisp: ut possint *absolvere quoscunque sæculares à casibus Episcopalibus* (ut habetur authenticè Romæ, in Monasterio S. Alexij in illorum Bullario) Evgenius IV. 1436. in Bulla: *Etsi quaslibet.* concessit Bened: Congreg: S. Justinæ, facultatem absolvendi sæculares ab omnibus casibus & censuris Papæ non reservatis.

Pontificũ aliorum confirmationes & concessiones.

Idem etiam Pontifex anno 1438. in Bulla: *Commissum.* concessit Confessarijs Cister: in Regno Castiliæ, ut quoscunque Christifideles, illis confiteri volentes absolvant, ab omnibus peccatis, criminibus, & excessibus, quantumcunque enormibus, Sedi Apostolicæ non reservatis. Eandem authoritatem nobis Franciscanis concesserunt, Nicolaus V. 1448. in Bulla: *Scimus populos.* apud Rodericum. Calixtus III. 1456. in Bulla: *Ad ea libenter.* apud Wadingum in reg: tom: 6. & Sixtus IV. 1474. in Bulla: *Vestræ in hac parte.* apud Wadingum in reg: tom: 6. & Rodericum.

Idem Sixtus IV. in Bulla: *Sedes Apostolica,* apud Cherubinum (apud hunc, Rodericum, vel Wadingum, invenientur Bullæ communiter quas cito) Fratribus *Minimis* concessit, & Paulus III. 1545. in Bulla: *cùm inter cunctas, Societati IESU* amplissimum concessit privilegium, quo omnes mendicantes gaudent, utuntúrque per totum orbem hodie.

So:

Societatis Patres, ut nimirum *Confessarij dicta Societatis à Præposito Generali deputati, habeant facultatem absolvendi; quoscunque Christi fideles ad eos undecunque accedentes, eorum confessionibus diligenter auditis, à quibuscunque peccatis, etiam* Sedi *Apostolicæ reservatis, & à quibuscunque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus*, (ijs exceptis, quæ in Bulla *Cœna Domini* continentur) *nec non vota quacunque per eos pro tempore emissa* (ultramarinis, visitationis liminis Apostolorum, & S. Jacobi in Compostella, Religionis, & Castitatis votis duntaxat exceptis) *in alia pietatis opera commutandi.* Cui privilegio, cùm aliqui ordinarij prætenderent, quantum ad casus per ipsos reservatos, derogatum esse à Gregorio XIII. in Epistola ad unum illorum scripta: idem Gregorius, 10. Maij, 1583. declaravit non esse *sua intentionis, quòd per talem epistolam derogetur dicta Societatis facultati, eámque quatenus, opus fuit, de novo confirmavit:* ut habetur inter vivæ vocis oracula Societ: P. 131. & refertur in ejus compend: verbo, *absolutio.* objectiones adversariorum vide solutas apud Rodericum q. 41. art: 2. & Chassaing tract: 5 cap: 3. & ex dictis à me suprà Assertione 9. hujus columnæ. Unde *Ampla facultas mendicantiũ.*

Ex jam probata conclusione infertur; Regulares posse absolvere, etiam à censuris, quas sibi Ordinarij reservant, sicut & à censuris, & casibus reservatis Papæ, in casu quo pœnitens Romam, ob legitimam causam, ire non possit; nam in probabili sententia, E-

piscopus in tali casu, à casibus Papalibus absolvere potest: ergo & regulares Episcopalem quasi potestatem habentes, in hac materia.

Abortum procurantes absolvi possunt.

ASSERTIO XIV. Abortum procurantes, sicut ad illud auxilium præbentes, absolvi possunt ab excommunicatione, quam incurrunt (juxta rigorosam constitutionem Sixti V. moderatam, & ad terminum juris communis reductam à Gregorio XIII.) à mendicantium Confessarijs approbatis. *Probatur*, excommunicatio illa non est reservata Papæ, loquendo de foro conscientiæ: ergo in illo foro, confessarij nostri ab ea absolvere possunt suos subditos, & etiam sæculares.

Dices: Privilegia regularium, quoad hoc, fuisse revocata a Sixto V. & Gregorio XIII. *Contra*: Privilegia omnia nostra fuerunt postea confirmata, & vivificata per Clementem VIII. & Paulum V. anno 1609. *ex certa scientia*. ut dixi ante, de Privilegiorum confirmatione Col. VI. ergo

Ædificare penes mēdicantiū loca quomodo licet.

ASSERTIO XV. Ædificare intra spatium 300. cannarum à nostris Ecclesijs Conventum, Ecclesiam, aut Oratorium, alijs omnibus mendicantibus prohibuit Clemens IV. 1265. in Bulla: *Ad consequendam*. apud Wadingum in reg: tom: 2. & Julius II. 1509. in Bulla: *Exponi nobis*. apud Cherubin: & Rodericum: *Sed jam*. per concessionem Pij IV. & Gregorij XIII. anno 1576. in Bulla; *Salvatoris*. apud Cherub: factam Patribus Societatis, ut habetur in illorum compendio verbo: *ædificia*. §. 2. & 3. licet dictis Patri-

Patribus intra 140. cannas, à Conventibus aliarum religionum, etiam mendicantium, Collegia, domos, & Ecclesias ædificare, quo privilegio nos uti possumus cōtra illos, si vellent nobis prohibere, nè infra tale spatium, pœnes illos, Conventum ædificemus;

Quod autem licentiam attinet Episcopi, pro ædificandis mendicantium locis, quam Trid: Sess. 25. cap: 3. necessariam docet, Pius V. 1571. in Bulla: *Ad hoc nos Deus*. apud Cherubin: concessit Prædicatoribus, ut sinè ordinarij licentia, ubique locorum possint novas ædificare domos; & idem concessit Societati Gregorius XIII. ut habetur in illorum compendio jam suprà citato, §. 3. *Tamen Clemens VIII*. 1603. in Bulla: *Quoniam*. apud Rodericum, non solùm Ordinariorum requirit licentiam, sed etiam prohibet Ordinarijs, nè nova ædificandi loca, licentiam dent mendicantibus, nisi vocatis priùs vicinorum locorum, & Conventuum superioribus, iisque examinatis videant, num sinè illorum præjudicio, & detrimento, nova illa loca erigi possint, &c. Et hoc Clementis decretum, confirmavit Vrbanus VIII. in Bulla: *Romanus*. apud Cherubin: revocavitque omnes licentias datas, nova loca regularia erigendi, non servatis decretis dicti Clementis.

An requiritur Episcopi licentia;

ASSERTIO XVI. Quamvis varijs regularium, etiam mendicantium, ordinibus (si non omnibus) ex diversorum Pontificum concessionibus, licitū subinde erat, bona sua tam mobilia, quàm etiam immobilia alienare

Non licet Regularibus bona alienare.

enare, defacto tamen id illis non licet (in quantum scio) sinè licentia expressa sacræ Congregationis.

Probatur 1. *pars*, ex concessionibus factis à Sixto IV. 1476. in Bulla: *Dum ad universos.* apud Cherub: Cong: Reg: S. Aug: Cong. Later: & 1483. in Bulla: *Sedis Apostolica.* apud Justinum, Carmelitis Cong: Mantuanæ, à Julio II. 1512. in Bulla: *Inter cæteros.* apud Cherub: Canonicis Congr: S. Salvatoris: à Leone X. Dominicanis 1514. in Bulla: *Pro pastorali.* apud Cherub: Congreg: montis Oliveti Benedictinis, anno 1516. in Bulla: *Ex debito.* apud Cherubin: Conventualibus nostris, 1519. in Bulla: *Cùm sæpe numero.* A Gregorio XIII. 1572. Eremitis S. Augustini in Bulla: *Dum uberes.* apud Cherubin: & denique Patribus Societatis ab eodem 1577. & 1582. in Bullis: *Apostolica.* & *Ex debito.* apud Cherubin, quarum conconcessionum fit expressa mentio, in compendio dictæ Societatis, verbo: *Alienatio.* §. 1. & 2.

Probatur jam 2. *pars*: Sacra Cardinalium Congregatio die 7. Septemb: anno 1624. ex speciali mandato Vrbani VIII. ut videre est inter constitutiones Vrbani, apud Peirinum; *Omnium Regularium Superioribus, cujuscunque sint Ordinis, Societatis, Congregationis, & instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium, alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum Dominium transfertur &c. præterquam in casibus à jure permis-*

sis

sis, fieri perpetuò prohibet, absque ipsius Congregationis inscriptis, expressa licentia, & hoc sub gravissimis, ibidem expressis, pœnis: ergo de facto talis alienatio illicita est.

Dixi: in quantum scio: quia ad manus meas non pervenit, ulla revocatio, jam assignati decreti, si quæ procurata est; nec de illa sum solicitus; Ordo enim noster nihil habet proprij, sic alienare non potest res Ecclesijs nostris oblatas, aut ad nostrum usum donatas, sinè consensu Summi Pontificis, qui rerum illarum verus est Dominus. Si quando autem justa ex causa, ex rebus ad nostrum usum datis, aliquid esset alienandum, potestas adæquatè residet pœnes Syndicum nostrum Apostolicum, qui nomine Papæ, de consensu Superiorum, eandem habet facultatem alienandi res tales, quam habent Prælati aliarum Religionum, possidentium bona, in communi, alienandi illa, nomine suorum Conventuum.

Ordo minorum nihil habet proprij.

ASSERTIO XVII. Fratribus nostris, aliisque etiam nobiscum communicantibus, sinè consensu Episcopi, licet super portatile celebrare, non solùm in suis privatis oratorijs, sed etiam (cum debita tamen reverentia & honore) in alijs quibuscunque locis honestis (maximè si sint in missionibus) Abstinendum tamen est ab usu hujus privilegij, extra casum necessitatis.

Usus altaris Viatici, seu Portatilis licitus est Mendicantibus.

Probatur 1. pars: ex varijs Summorum Pontificum Bullis, quibus nobis, & etiam alijs mendicantibus facultas talis conceditur: nobis quidem gratia illa facta est ab Hono-

rio III. 1224. in Bulla: *Quia populares.* apud Wading: in Reg: tom. 1. & 1225. in Bulla: *Non deberent.* apud Wadingum & Rodericum. à Gregorio IX. 1228. in Bulla: *Nos attendentes,* apud Wading: jam citatum. à Clemente IV. 1265. in Bulla: *Virtute conspicuos.* Evgenio IV. *Ex certa scientia,* 1439. in Bulla: *Licet debitum.* & Sixto IV. 1474. in Bulla: *Regiminis universalis.* apud Rodericum.

Nobis etiam, & Dominicanis, idem privilegium concessit Gregorius IX. quæ concessio inserta est in corpore Iuris communis, in cap: *in his. de privilegijs, & excell: privilegiat.* ubi Archiepiscopo Linconensi, aliisque Ordinarijs mandatur, ut nos in usu dicti privilegij non impediant: ergo usus ille licitus est nobis.

Dices Trid: Sess: 22. cap. unico, de evitand. & observand. &c. revocâsse dicta privilegia. Respondet noster Cassaing: nostra privilegia in jure communi inserta circa celebrationem Missarum, per Trid: ibi non revocari, sicut nec Episcoporum simile privilegium revocatum est, ut declaravit sacra Congregatio 9. Septemb: 1591. Sed (quidquid sit de hoc) aliter *respondetur*: quòd post Trident: privilegium nostrum fuit confirmatum, in gratiam Patrum Societatis; à Gregorio XIII. 1579. in Bulla: *Visum.* ut habetur in Patrum compendio, verbo: *Altare.*

Ratio 2. partis. *Probatur ultima pars*: tum quia non decet, ut tremendum hoc Sacrificium, in gratiam alicu-

alicujus delicatæ fæmellæ, aut indevoti viri, qui auræ inclementiam fingeret se non posse pati, in Ecclesia, extra Ecclesias, vel oratoria celebretur: tum quia Gregorius XIII. de solis missionarijs loquitur, ut videre est in Bulla: ergo quamvis nos alij communicamus cum illis, adhuc abstinendum est à celebrando extra Ecclesiam, nisi sit rationabilis causa, gravis puta infirmitatis, &c.

De Apostatis hæc sunt notanda: 1. illum dici verum apostatam, in foro interno, qui à religione, quam professus est, cum, vel sine habitu, fugit animo non revertendi; unde qui, ut se liberaret ab injustis persecutionibus inflati, & inquieti alicujus Rectoris, vel Guardiani, ad Provincialem v. g. vel alium Superiorem majorem fugeret, non esset verus apostata, quamvis pœnâ apostatæ, ex statutis nostris, sic fugiens, meritò puniri potest. *Secundò*, Apostatas & fugitivos nostros in suis ædibus (nisi sint illorum consanguinei proximi, qui de Apostasia non sciunt) recipientes, vel occultantes incurrere excommunicationem, & excommunicari posse à nostris Prælatis. ita concesserunt Clemens IV. 1267. in Bulla: *Cùm sicut*. apud VVadingum in reg: tom. 2. & Cœlestinus V. 1294. in Bulla: *Ad decorem*. apud Rodericum. *Tertiò*, Apostatas resistentes illis, à quibus capiuntur, posse impunè ligari, fustibus, & pugnis domari, ut docet Peirint tomo 1. n. 6. *Quartò*, illum posse ejici ex religione nostra, non solùm qui tertiâ vice apostavit,

Apostata.

Fugiens quomodocunque sine licentia puniendus est.

tavit, sed etiam qui longo tempore, habitu dimisso, scandalosè in apostasia duravit: ita docet Rodericus tom. 1. q. 30. art. 14. & 15. Portel verbo *Apostata*. n. 5. & ratio est: nam quamvis solos incorrigibiles nobis expellere licet, & quòd statuta nostra generalia Toletana, cap: 6. illum dicunt incorrigibilem, qui *ter fuit juridicè convictus, & punitus de eodem crimine gravi, & non fuit correctus*: tamen consideratis personæ qualitatibus malis, una continuata perversitas, æquivaleret tribus. lege Rodericum loco citato, & appellationi subditi, ab inferiori Prælato, ad superiorem v. g. à Guardiani sententia, ad Provincialis, & ab hujus, ad Generalis, non resiste, nisi fiat in causa correctionis, seu pœnitentiæ: sacra enim Congregatio Regul: apud Peirinum de privilegijs Regularium tom. 3. n: 14. & sequentibus, concedit subdito regulari talem licentiam, ut nimirum à locali Superiore, causâ refugij, appellare possit ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & à Protectore ad Papam: lege P. Sanctorum tit: de appell:

Incorrigibiles apud nos quando ejiciendi sunt.

Appellatio licita est.

ASSERTIO XVIII Guardiani, nostrique, alij superiores Prælati, non solùm benedicere possunt ornamenta omnia Ecclesiastica, calice, & lapide exceptis; sed etiam solemni benedictione possunt benedicere, suas Ecclesias, Oratoria, & alia loca, etiam sanguinis, vel seminis effusione polluta, adhibitâ tamen aquâ (quam vocant Gregorianam) per Catholicum Episcopum benedictâ. Consecrare verò Ecclesias, calices, aut lapi-

Benedicere possunt nostri paramenta, & Ecclesias; non verò consecrare Ecclesias, lapides, aut calices.

lapides, eis non licet. est communis cum utroque Roder. apud Portel, & authorem compendij Societatis, verbo, *Benedicere.* §. 1. & 2.

Prima pars patet ex concessione Julij II. facta nobis, & Minimis, 1506. in Bulla: *Dudum ad sacrum.* apud Cherub. & Eremitis S. Augustini, 1507. in Bulla: *Dum uberes fructus.* apud Roder. Et idem privilegium quoad reconciliationem, & benedictionem Ecclesiarum, concessit nobis Leo X. 1514. in Bulla: *Religionis.* apud Rodericum, & Peirinum. vide Rodericum juniorem resol: 13. de benedictionibus, ubi n. 5. docet: aquam Gregorianam non requiri, nisi quando Ecclesia, vel cœmiterium, reconciliari debet.

Probatur 2. pars: quia Leo X. & Gregorius IX. excipiunt ea, ad quarum benedictionem requiritur unctio Chrismatis, sicut requiritur ad consecrationem Ecclesiarum, calicum, patenarum, & lapidum benedictionem.

ASSERTIO XIX. Bona malè acquisita, sicut & legata, sinè ulla determinatione, in pios usus relicta, possunt à nostris per modum eleemosynæ recipi. *Probatur:* tum quia talia bona accipere non est contra animam, aut regulam nostram: tum ex dictis à me in Oecodomia, de restitutione, colum. 15. tum denique quia talia acceptare concessit nobis Alexander IV. anno 1257. in Bullis: *Felicis recordationis.* & *ex parte dilectorum*, apud Wadingum in Regist: tomo 2. *Bona derelicta nostris dari possunt.*

Derelicta Clarissarũ bona, ad nostrum usum converti debent.

ASSERTIO XX. Bona derelictorum à Clarissis monasteriorum, converti debent in usum fratrum nostrorum. Ædificato novo Conventu, possunt nostri ligna, lapides,& alia, antiquum Conventum concernentia, ad novum transferre, vel per Syndicum vendere. *Prima pars patet*, ex concessione Sixti IV. anno 1474. in mari magno, & habetur in compendio nostro, verbo : *Bona.* n. 7. *Secunda etiam pars probatur* ibidem n. 4. ex concessione Clementis IV. cujus etiam fit mentio in compendio Societatis, verbo : *Bona.* §. 7.

Bona aliorum à Patribus Societatis accipi possunt, & è contra.

ASSERTIO XXI. Patres Societatis licitè accipere, & occupare possunt, quæcunque bona ipsis oblata, sive sint sæcularia, sive regularia, nec non Ecclesias, Parochias, Eremitoria, & monasteria, cujuscunque ordinis, etiam Strict: Observantiæ. ita refert Rodericus tom. 1. q. 38. art. 1. ex illorum compendio, verbo : *Bona.* §. 4. & colligitur ex concessione Martini V. facta fratribus S. Hieronymi, quâ Societas per communicationem gaudet, activè, & passivè; nam alij Religiosi capaces bonorum, similiter illorum bona, & Ecclesias acceptare possunt, quod non illibenter multi executioni darent, si possent.

Hic advertant nugatores,qui putant illum, obsequium Deo præstare, qui Jesuitas decipit, aut illorum pecunias, aliásve res furatur, vel detinet; Leonem X. omnes excommunicâsse, qui mendicantium bona occupant, & ter moniti, non restituunt.

AS-

ASSERTIO XXII. Bona Regularium transeuntium ad Episcopatum, sive libri sint, sive res aliæ quæcunque, ad monasterium, vel Provinciam, ex qua assumuntur (loquendo de nostris) spectant; unde illa secum deferre sinè obligatione restitutionis, non possunt. ita uterque Rodericus, & Portel, verbo: *Bona.* n. 2. & declaravit Alexander IV. in Bulla suprà citata. *Bona transeuntium ad Episcopatū, Monasterij sunt.*

ASSERTIO XXIII. *Bullæ cœnæ transumptum,* Confessarij nostri habere non tenentur, non obstante decreto Pij V. nam satis est, ut in quovis Conventu unicum illius exemplar habeatur. ita ipse Pius concessit, vivæ vocis oraculo, Patribus Societatis, ut refertur in illorum compendio, verbo, *Bulla.* §. 1. quâ concessione nos gaudemus, cum omnibus alijs mendicantibus. An autem in quovis habeatur Conventu, videant Provinciales, Visitatores, & Guardiani, quorum interest. *Satis est si in Conventu habeatur.*

De calice, Canonica portione, casibus reservatis, censuris, cessationibus à divinis, & communicatione privilegiorum, jam satis dixi, columnis præcedentibus, ut videre est in illis; unde ut ad ulteriora transeamus, sequentia sunt obiter advertenda:

Primò, per Capitulum intelligi Congregationem multorum Ecclesiasticorum. *Secundò*, authoritatem Capituli, pœnes majorem, & saniorem partem esse, ut habetur c. 1. *De his quæ fiunt à majori part. Capitul:* *Tertiò*, Capitula provincialia apud nos Minoritas, juxta Leonis X. Bullam, apud Roderi- *Notanda circa Capitula Regularium.*

cum videndam, celebrari semper de trien. nio in triennium, ad effectum electionis Provincialis, Custodis, Diffinitorum, seu Assistentium, & Guardianorum. *Quartò*, Capitulum provinciale apud nos in his differre à Congregatione intermedia. *Primò*, quòd in illo conveniant omnes vocales Provinciæ, nimirum Provincialis, Custos, Diffinitores, Guardiani omnes, & alij quibus ex statutis, vel consvetudine competit votum activum. In Congregatione autem, soli Diffinitores cum Custode, & Provinciali, Ordinis, vel Provinciæ Patribus (inter quos Lectores jubilati computantur) convenire debent. *Secundò*, in Capitulo condi possunt statuta vim legis habentia; in Congregatione autem non. *Tertiò*, Statuta, quæ juxta Trid. Sessione 25. c. 8 de Reg. in quovis provinciali Capitulo, ad stabilitatem, & reformationem regularis disciplinæ, fieri possunt, in Congregatione intermedia mutari non posse, ut cum Roderico tom. 1. qu. 10 artic. 4. docet Miranda tom. 2. q. 29. art. 8. & *ratio est*, quia acta Capituli sunt, non solùm omnium Provinciæ vocalium consensu conclusa, sed etiam Generalis Ministri (cujus authoritas residet pœnes Commissarium Visitatorem, in Capitulis semper, absente Generali, præsentem) authoritate confirmatá; & sic, *sicut inferior non potest tollere leges & constitutiones superioris*, (ut Juristæ in axiomate habent) sic nec Congregatio, quæ inferior est Capitulo, mutare potest acta capitularia: bene tamen potest, gravi urgente necessi-

Statuta Capituli nostri, in Congregatione mutari non possunt.

necessitate, illa interpretando, aliter disponere, quàm per ea ordinatur: Unde si in hac alma Bohemiæ Strict: Obs: Provincia, esset statutum (prout est) ut secundâ vice electus in Guardianum duret per triennium, gravi urgente causâ, in Congregatione taliter electus, deponi possit; aliter autem non.

ASSERTIO XXIV. Cùm carcer, *mala sit mansio, quæ morti æquiparatur*, Religiosus carceri mancipari non debet à Prælatis, nisi priùs contra illum facto processu summario (in quo duorum saltem testimonio probatur Reus) in loco (quamvis securo) humano; id est, qui nec subterraneus sit, aut obscurus taliter, ut non possit se, & alia videre. hæc est Roder: tom. 2. q. 17. art. 3. & 4. *Prima pars*, quæ est Baldi, patet: nam Religiosus incarceratus Superioris mandato, fit (præsertim in nostra sacra Religione) hoc ipso infamis, & inhabilis ad omnia ordinis officia, quæ pœna, viro ingenuo, ipsâ morte amarior esse deberet. *Secunda pars* de processu patet; quia nemo, nisi, bene examinatâ, & cognitâ causá, convictus de crimine (ut docet Joannes Andreas in cap. *Si Clericus*, de sententia excommunicat. in 6.) tantam suæ famæ jacturam pati debet; unde Prælati regulares, in hac parte cauti esse debent, & solent, dum primò in securo aliquo cubiculo (quod domus disciplinæ à nobis dicitur) Reum includi faciunt, ubi (prout in carcere formali fit) habitu religionis non privatur.

Carceris & carceratorum miseria.

Probatur etiam ultima pars: tum exem-

plo,

plo humanissimi Imperatoris Constantini, qui lib. 1. cap. de cust. reor. carceres voluit habere, in quibus custodiantur, sed non pereant Rei. tum etiam quia teste Card. in Clement: 1. q. 7. de pœnit. quem sequitur Folerius, in pract: crim: verbo: *Incarceratus*. n. 2. Prælati irregulares, & homicidæ fiunt, qui Clericum tetro claudunt carcere, in quo perit: ergo in hac parte misericordes, & circumspecti esse debent Superiores.

Pœna Prælatorum.

ASSERTIO XXV. Fæminis omnibus etiam Comitissis, Marchionissis, & Ducissis, aliisque cujuscunque conditionis vel statûs mulieribus prohibetur, sub excommunicationis pœna, nè *præsumptione, aut prætextu, facultatum & licentiarum ipsis à Sede Apostolica factarum*, ingredi ullo modo audeant monasteria, domos, & loca virorum quorumvis ordinum. Ipsis etiam religiosis, tam superioribus, quàm inferioribus, sub eadem pœna, nec non privationis dignitatum, & officiorum suorum, inhabilitatisque ad illa, & alia imposterùm habenda, districtè præcipitur, nè ullam fæminam prætextu hujusmodi licentiarum, & facultatum, ingredi faciant, vel permittant. ita Gregorius XIII. 1575. constituit, in Bulla: *Ubi gratia*. apud Cherubin. & Roder. & 1581. in Bulla: *Dubijs*. apud eosdem; nec non Paulus V. 1612. in Bulla: *Monialium*. ex quibus constitutionibus *probatur* conclusio. ut jacet.

Clausurā violantiū pœna.

Sed quia Papa Gregorius in eadem jam citata Bulla, in qua prohibet fæminis, æquè ac viris, ingressum in monasteria monialium,

Excipiuntur fundatrices.

cxci.

excipit, teste Roderico juniore, resol: 27. n. 2. Monasteriorum *fundatrices*, & *dotatrices*, nec non Conjuges, & filias Comitum, Marchionum, Ducum, & superioris gradûs Principum; cùm exceptio illa favorabile sit privilegium, respectivè etiam ad multos religiosos, & consequenter communicabile regularibus, quorum regulæ, vel constitutionibus non præjudicat. Sic:

Infero 1. prohibitum non esse fundatricibus nostris, etiam cum honesto comitatu Dominarum, Monasteria nostra ingredi, Refectorium intrare, ibique comedere (hoc enim permittere, contra nostram regulam nullo modo est, nec contra statuta, quæ ad culpam essent obligatoria) dormitorium videre, & per hortum ambulare; & consequenter concludo, in hac Bohemiæ Provincia, non solùm *Illustrissimam & Excellentissimam Dominam, D. Polyxenam, Comitissam de Martinitz*, natam Comitissam *de Sternberg*, Supremam Regni Bohemiæ Burggravianam (vera pauperum, & maximè Franciscanorum mater erat) si hodie vixisset; sed etiam modernam Burggravianam, posse intrare Conventum *Slanensem*. Item Excellentissimam & Illustrissimam Dominam, D. *Comitissam Slavatam*, posse intrare Conventum *Neodomensem*. Illustrissimã Dominam, D. *Comitissam à Sternberg*, Conventum *Becchinensem*. Illustrissimam Dominam, D. *Comitissam Zwithnianam*, Conventum *Otticensem*. Illustrissimam Dominam, D. *Comitissam de Wallestein*, Conventum *Turnovicensem*. & sic de alijs fundatricis

Privilegiũ fundatricum nostrarum.

Nominantur aliquæ Conventuum Bohemiæ fundatrices.

tricibus; maximè ubi talis consvetudo inolevit prout in nostris hisce partibus Germaniæ invaluit.

Confirmatio conclusionis.

In confirmationem illationis, hæc duo notanda sunt: 1. Greg: XIII. ad instantiam Fratris Andreæ Amadei, Ordinis Minimorū, à S. Congregatione consultum, respondisse Paulinos, non obstantibus Pij V. constitutionibus, posse admittere ad sua monasteria fundatrices, ita tradunt ambo Roderici, senior tom. 1. q. 48. art. 1. & junior Resolut. 27. n. 2. *Alterum* verò est, Pontifices revocâsse facultatem concessam aliquibus fæminis ad ingredienda Monasteria, ut quieti Religiosorū consulerent (sic enim Bullæ sonant) sed per ingressum fundatricum, honesto, & laudabili fine (puta animo tractandi fratres, séque, & alios ex illorum præsentia; mortificationibus, & alijs religiosis exercitijs, consolandi) religiosorum quies (excipio Carthusianos, & alios similes monachos, quos solos, fortè, Pontifices intellexerunt) nullatenus turbatur; imò consolantur Religiosi, dum vident, quòd non solùm fundatores, sed etiam fundatrices illis faveant: ergo dictarum constitutionum finis cessat in ingressu illarum fæminarum; & consequenter ipsæ cessant.

Adde: Suarem, de censuris disp. 22. Sect. 6. n. 11. (diligentissimum, aliàs, constitutionum Apostolicarum observatorem) huic nostræ favere sententiæ, dum ait, se non invenire ullam legem, generaliter prohibentem sub mortali fæminis, exclusis extrinsecis circum-

stan-

ſtantijs, pravi finis, ſcandali, & violentiæ, ingreſſum in religioſorum Monaſteria. Sic cum illo ſvadeo, in hac parte, ut quævis Religio, conſideratis ſuis peculiaribus conſtitutionibus, à Pontifice confirmatis, ſe ſuæ conformet obligationi.

Infero 2. ex concluſione, nullam fæminam incidere in pœnas, vel cenſuras Greg: XIII, niſi quæ *ex præſumptione, & prætextu facultatum Apoſtolicarum ingreditur;* & hoc *poſtquam notitiam literarum prædictarum Gregorij XIII, habuit.* Unde quæ alio quocunque titulo intravit, non incidit in dictas cenſuras, quantumvis, fortè, peccet (idem dic de Religioſo introducente fæminam) quia cùm leges ſint pœnoſæ, ſtandum eſt ſenſui illarum ad literam, ut loco citatò docet Suares, & Juris Regula confirmat: *Odia ſunt conſtringenda.*

Qualiter fæmina intrantes cenſuras incurrunt.

Infero 3. licitum eſſe omnibus fæminis ingredi clauſtra monaſteriorum, animo audiendi Miſſam, vel concionem, & alia divina officia; concomitandi proceſſionem, vel funus, v. g. fratris, qui in ambitu, vel chori, communi ſepeliretur crypta; Item in magno populi concurſu, animo tutò exeundi per portam Conventûs, prout ordinariè ſolet fieri ubique.

Caſus in quibus licet intrare.

ASSERTIO XXVI. Moniales; cujuscunque ſint ordinis, regulæ, ac nominis, defacto tenentur ad clauſuram obſervandam. ita expreſsè habetur in Tridentino, Seſs. 25. cap. 5. de Regul: & rigoroſè præcipitur à Gregorio XIII, 1575. in Bulla: *ubi gratia.*

Moniales ad clauſuram tenentur.

gratia. & à Pio V. 1612. in Bulla, *Monialium.* apud Cherubin. & ab Vrbano VIII. 1624. in Bulla, *Sacrosanctum.* apud Cherubin. in qua præcipitur, ut etiam mulieres non ingrediantur monasteria monialium, sinè expressa licentia Superioris; & consensu communi ipsarum monialium, capitulariter congregatarum. Trid: jam citatum vult, ut licentia illa in scriptis detur. *Sed hoc debet* intelligi (juxta Doctores communiter) quando in extraordinario aliquo casu, quis vellet intrare, non verò in casibus ordinarijs; unde sinè licentia in scriptis, quoties necessitas exigit; in monialium monasteria intrare possunt, Medicus, Chirurgus, Opifices, & alij, sive viri sint, qui ligna, vel alia necessaria portare debent, sive fœminæ.

Privilegiū fundātritūm.

Non obstante Trid; & prædictorum Pontificum prohibitionibus; possunt *fundatrices*, *dotatrices, Marchionum. Ducum, & Principum filiæ* (salutatis priùs Superiore, & Abbatissâ) ingredi dicta monasteria, ut dixi conclusione præcedenti; & declaravit ipse Gregorius XIII. diu pòst suam prohibitionem; anno nimirum 1584. in Bulla, quæ incipit: *Sanctimonialium quietem.* lege Rodericum tom. 1. q. 48. Portel. verbo *Clausura.* & declarationes, & remissiones, Trid: Sess: 25. cap. 5. interea sequentia observa.

Primò, ingredientes dicta monasteria, & introducentes sinè debita licentia, incurrere excommunicationem, & privationem officiorum (si ulla habent) & inhabilitatem ad futura officia. ita Tridenti jam citatum de 1. pœna;

pœna, & Bullæ citatæ de alijs loquuntur. *Secundò*, tam Regulares, quàm sæculares in sequentibus casibus ingredi posse licitè. *primò*, Regularis superior, si Generalis est, potest, etiam cum quinque socijs, intrare monasterium, ad celebrandum Sacrum; Ordinarius verò Superior, non nisi cum duobus ad summum; ita concessit Vrbanus IV. nostro Generali, ut videre est apud Rodericum juniorem resol. 16. n. 26. *Secundò* potest regularis intrare ad administranda Sacramenta, quoties necessitas urget. *Tertiò*, potest quis intrare (modò sit aliàs deputatus ad monialium obsequia) ad ea manualia præstanda, quæ à monialibus fieri non possunt; de quibus vide Rodericos, jam sæpe citatos; Mirandam, & Portel, verbo; *Clausura*. Sæculares etiam possunt intrare ad succurrendum Virginibus, in gravibus necessitatibus, v. g. incendij, inundationis, &c.

Infero 3. Episcopum posse visitare clausuram monialium, Regularibus subjectarum, eáq; circa illam observandam ordinare, quæ necessaria sunt (casu quo constaret de defectu) & sibi in hac parte contradicentes, etiam Regulares, punire. ita colligitur expressè ex Trid: Sess: 25. cap. 5. & sacra Congregatio decrevit, 28. Aprilis, 1594. & 17. Julij, 1597. & 22. Aprilis, 1617. *Instituere tamen* visitationem, in tali monasterio per se, Episcopi non possunt, quia eorum jurisdictioni subjectum non est. *Potest Episcopus Clausurá visitare.*

Quartò, non ad Ordinarium, sed ad Regularium Superiores spectare, dare licentiam *Regulares soli possunt dare licentiam.*

O tam

tam sæcularibus, quàm regularibus intrandi clausuram monasteriorum exemptorum, ita censuit sacra Congregatio 29. Julij, 1597. apud Barbosam in jam citatum Trident: caput: & statuit Pius V. in Bulla: *Etsi mendicantium.*

Fratres Minores nostri monialium Clausurā intrare possunt.

Quintò, Fratribus Minoribus, æquè ac alijs Religiosis, licere intrare monasteria monialium, non obstante hoc præcepto Regulæ, cap: 11. *Præcipio firmiter fratribus universis*, &c. *nè ingrediantur monasteria monacharum, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis*; quia à Sixto IV. Alexandro VII. & Leone X. specialis facultas cō. cessa est Superioribus nostris, ut possint, quibos vellent fratribus dare licentiam intrandi monasteria monialium; ut post utrumque Rodriquez, docet Navarrus comment. 4. n. 6. & Sanches lib: 6. cap. 16. n. 112.

Sextò, Superiores debere semper esse faciliores ad admittendas intra clausuram monialium fæminas, quàm viros; quamvis nec illas etiam, sinè morali necessitate prudentis viri judicio determinanda, admittere debent; ut mandat, re ipsâ, Tridentinum sæpè citatum.

Septimò, Moniales posse egredi, instante quocunque gravi, & inopinato mortis, vel violandæ virginitatis, & infirmitatis contagiosæ (quà exeuntes actu laborarent) periculo, ut docent Doctores communiter cum Roderico tomo 1. q. 39. & Portel verbo *Clausura Mon*: n. 19. Unde exire licitè potest monialis in periculò incendij, inundatio-nis,

nis, excursionis infidelium & hæreticorum. Item laborans peste, leprâ, epidemiâ: non verò laborans contracturâ, aut simili, etiam mortali infirmitate, ob quam judicio medici, usu balneorum, ad vitam conservandam indigeret, nisi ad hoc specialem à Sede Apostolica haberet licentiam; prout fortè habent Abbatissæ, & moniales Benedictinæ, Regij Monasterij S. Georgij hic Pragæ; aliàs non irent ad bona, aut Thermas, prout subinde solent: vidi enim defunctam Principissam (Abbatissa dicti monasterij, semper hoc ipso Princeps est, eique competit, ex singulari privilegio coronare Reginam Bohemiæ) ante aliquot annos in Thermis Carolinis. *Abbatissa S. Georgij Pragæ.*

Octavò, Religiosum cujuscunque ordinis mendicantium, invitatum à Prælatis monialium alterius ordinis, posse cum illis dicta monasteria intrare, & ad Prælati petitionem jurisdictionis actum inibi exercere; ita nobis Franciscanis concessit Leo X. vivæ vocis oraculo (ut testantur Rodericus, Sanches, Miranda, & Portel, citati à Roderico juniore Resol: 16. n. 27.) *Invitati possunt intrare.*

Nonò, ut puellæ educationis causâ, possint licitè recipi, & detineri in monasterijs monialium (præter ea quæ requiruntur à Stephan: Quaranta, in summa Bullarij verbo: *Monasteria monialium.* & nostro la Cruz, de statu relig: lib. 1. dub. 2. qui 17. decisiones sacræ Congregationis circa puellarum, & mulierum receptionem in monialium monasteria assignant) hæc sunt observanda & notanda: 1. ut sint sine ancillis. 2. ut si se- *Requisita ut puellæ possint recipi.*

O 2 mel

mel egrediantur, non possint amplius reverti. 3. ut servent clausuram more monialium. 4. ut recipiantur habitâ in scriptis Superiorum licentiâ. 5. de consensu Abbatissæ & majoris saltem partis communitatis. 6. ut si habitâ licentiâ Superioris, Abbatissæ, & monialium, gratia recuperandi sanitatem egrediantur ex monasterio, accedente illorum consensu, iterum possint admitti. 7. quòd utantur veste virginali, Virginum modestiæ, & pudicitiæ decenti. 8. ut non sint supra numerum puellarum præfixum. 9. ut quolibet semestri eis anticipatè solvatur portio, pro alimentis necessaria. 10. ut dormitorium habeant, & laboratorium, separata à locis, in quibus dormiunt, & degunt moniales. 11. ut non sint ætate minores septennio, nec majores 25.

Confraternitas sancti Francisci. ASSERTIO XXVII. Cordigeri nostri (quorum Archiconfraternitatem die 29. Augusti, 1582. erexit Sixtus V. per Bullam: *Divinæ charitatis altitudo eminentissima*) ut consequantur maximas gratias, & indulgentias sibi concessas, necesse est, ut cordâ nostrâ ab aliquo Prælato benedictâ, sint accincti: hæc patet ex jam citata Bulla, in qua clausula talis exprimitur: vide Rodericum tomo 1. q. 58. art: 1. ubi ipsam Bullam, & gratias Confraternitati concessas habetis.

Confessio. *Iam; ut de confessione* agamus, hæc sunt bene advertenda: 1. quòd quamvis juxta constitutionem Pij IV. in generali Capitulo nostro Vallisoleti, 1565. celebrato, publicatam,

tam, requiratur, ut Franciscanus expositus ad audiendas sæcularium confessiones, triginta sit ad minimùm annorum; Provincialem tamen, ob inopiam Confessorum, posse promovere minoris ætatis religiosos, ad confessiones audiendas, dispensando cum illis juxta constitutiones nostras Romanas, anno 1612. à Summo Pontifice approbatas, teste Spinat. tit. de confessionibus. *Prælatorũ nostrorum potestas.*

Secundò, Generalem nostrum posse admittere quem voluerit, & idoneum judicaverit, sinè prævio examine, ad fratrum confessiones audiendas, sicut Episcopus potest ad sæcularium confessiones audiendas non examinatos admittere. Ita declaravit sacra Congregatio, die 8. Julij, anno 1619. apud Barbos: in collectan: verbo: *Confessio sacramentalis.*

Tertiò, nullum Regularem extra mortis articulum, etiam ordinis nostri, validè posse audire confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi à Superiore priùs præsentetur Ordinario, secundùm formam juris, & ab illo prævio examine (si ita ipsi visum fuerit necessarium) approbetur. ita docet Trident: Sess: 23. cap. 15. de Reform. *Requiritur præsentatio Superioris.*

Quartò, Forma præsentandi Regularem, à Clementina, *Dudum.* §. *Statuimus. de sepulturis.* assignata, est talis: ut nimirum Provincialis, vel alius Superior, cujus interest, accedat Episcopum, vel ejus in spiritualibus Vicarium, rogétque ut tales Patres ab ipso examinatos, talitérque nominatos; approbare dignetur, pro confessionibus suo- *Forma & modus præsentandi Regul.*

 rum

rum diæcesanorum audiendis, ac si per omnia servata esset forma juris, in dicta Clement; *Requisita*. Quòd si Episcopus noluerit, nisi personaliter compareant, debent comparere. his notatis:- sit

Semel approbatus, est semper approbatus

ASSERTIO XXVIII. Confessarij mendicantium, ritè examinati, & debitè Episcopo præsentati, ad confessiones sæcularium audiendas, ab eóque absolutè approbati, perpetuò censentur in illa diœcesi admissi, taliter, ut aliâ non indigeant unquam approbatione. Hæc est melioris notæ Doctorum, & *probatur*, tum ex Bonifacio VIII. in extravag: *supra Cathedram*, in favorem Minorum, & Prædicatorum edito, & corpori juris communis inserto. Et à Clemente V. in generali Viennensi Concilio, circa annum Domini 1311, renovato, per Clement. *Dudum providá deliberatione*. de sepulturis, in quo postquam de modo præsentandi agit Pontifex, hæc subdit: *Datam verò licentiam per diœcesanorum mortem nolumus terminari:* ergo approbatio semel data semper manet.

Probatur 2. ex Bonifacio IX. qui anno 1402. in Bulla; *ad uberes*, apud Wading: in reg. tom 15. in gratiam Minorum edita, confirmavit gratiam nobis factam, in Clement: jam citata, & insuper hæc subjungit: *Volumus insuper, & authoritate Apostolicá statuimus, quòd præsentatio semel facta ordinarijs antedictis, de hujusmodi fratribus, super confessionibus per eos, ut præmittitur, audiendis, quàm diu in civitatibus, & diœcesibus, ad quas præsentati fuerint, perseveraverint, sufficiat.*

Idem

Idem ordinavit Joannes XXIII. anno 1414. in Bulla: *Frequentes*, dum Bonifacij VIII. constitutionem *super Cathedram*, confirmavit, & inviolabiliter observari, respectivè ad nos, & alios ibi nominatos mendicantes, mandavit: ergo.

Confirmatur hoc, tum ex Pio V. in Bulla: *Etsi mendicantium*. in qua statuitur, *ut Regularis semel admissus in una diœcesi, semper in eadem diœcesi pro admisso habeatur, & ut ampliùs in dicta diœcesi non examinetur, aut approbetur, sive in ordine ad conciones faciendas, sive in ordine ad confessiones audiendas*. Tum etiam quia sacra Congregatio anno 1572. die 3. Aprilis (ut habetur in remiss: cap: 15. Sess: 23. CC. Trid:) in hac materia consulta, sic censuit, *Fratres mendicantes semel examinati, non debent iterum ab Ordinario, nec per ejus successorem examinari*: ergo.

Objicies: Pius V. in Bulla: *Romani Pontificis providentia*. dicit Regulares posse examinari ab Episcopo succedente alteri defuncto; ergo approbatio illorum perpetua non est. ℞. 1. ex illa Bulla colligi saltem, quòd ab eodem Episcopo examinari denuò non possint Regulares. ℞. 2. cum Cassaing. tractatu 2. cap: 5. Bullam illam quoad prædictam clausulam fuisse revocatam à Gregorio XIII. anno 1557. supplicante Philippo II. Hispaniarum Rege Catholico, ut videre est in Bullario, fol. 1268.

Adde: Greg: XIII. in Bulla: *In tanta negotiorum mole*, omnia à Pio V. in prædicta Bulla ordinata, reduxisse ad dispositionem

Ex jure communi, & non ex privilegio competit Franciscanis.

juris communis, & Concilij Trid: jam suprà citati; sed jus commune. *Clement: Dudum.* concedit nobis & Dominicanis, ut defuncto Ordinario, à successore illius, nec examinari, nec approbari, aut reprobari possimus: ergo approbatio saltem nostra perpetua est. *Deinde* Trid: jam citatum non revocat jus commune Clement: *Dudum.* quia cùm sit lex in corpore juris inserta, & non privilegium, necessariò de illa deberet fieri mentio, ut ei derogaretur. Nec per ly *ab Episcopis &c.* vult Conc: ut Religiosus debeat à pluribus Episcopis approbari, ut omnes fatentur, aliàs invalida esset absolutio illius, qui ab uno solo approbaretur: vult igitur Concilium ad summûm, ut Regularis approbationem accipiat ab Episcopis, si successivè in diversis diœcesibus mansionem continuaverit.

Dices: Vrbanum VIII. in Bulla, *Aliàs à nobis*, confirmâsse Bullam prædictam Pij V. ergo. ℞. Bullam illam nihil facere contra Minores, aut Dominicanos, quia non habet clausulam revocatoriam juris communis, Clement: *Dudum.* nec facit etiam contra ullos mendicantes, quia Bulla illa uni soli particulari Prælato, aliqua concedit privilegia, contra Regulares suæ diœcesis, ut patet ex his clausulis: *Tui, Tibi, Hac vice &c. factum autem contra unum, alterius juri præjudicare non debet, ut dicunt Iurista.*

Approbati peregrinãtes ubique confessiones audire possunt.

ASSERTIO XXIX. Religiosi debitè semel præsentati, & approbati, possunt ubique terrarum, sive in mari, sive in terra iter faciant, (non repugnantibus saltem Curatis

ratis parochialium Ecclesiarum) verbum Dei prædicare, & quorumcunque Christi fidelium confessiones audire, dummodò id non faciant in locis,in quibus Ordinarij existunt, sinè illorum licentia. hæc est communis, & *patet*, tum ex concessionibus Evgenij IV. anno 1436. pro Benedict. in Bulla: *Regularem*. apud Cherubin. & in alia Bulla, quæ incipit: *Etsi quælibet*. apud Confert. & Roder. in quibus Bullis, etiam *contradicente Ordinario*, talis illis facultas datur. Tum etiam ex ejusdem Pontificis simili concessione, nobis vivæ vocis oraculo facta, ut videre est apud Roder. & Specul. Min tract. 1. fol. 39. Tum denique ex concessione Gregorij XIII. facta Societati, anno 1575. in Bulla: *Decet Romanum*. ex qua conclusionem, ut jacet, ferè assumpsi. vide compend: Societ. verbo: *Confessarius*. §. 2.

Ubiq; potest audire subditos diœcesis in qua est approbatus.

ASSERTIO XXX. Religiosus semel approbatus in una diœcesi, potest ubique subditos illius diœcesis audire, & absolvere. est etiam communis cum Roderico tomo 1. q. 60. art. 5. & Portel. verbo: *Confessor*. n. 5. Et *ratio est*, quia vi præviæ approbationis accipit jurisdictionem personalem in subditos illius diœcesis, & non in locum: ergo ubicunque erunt dicti subditi, ab illo licitè absolvi possunt.

Probabilius est quòd in alia diœcesi denuò approbari debeat.

ASSERTIO XXXI. Quamvis probabile est, Regularem in una diœcesi approbatum, censeri in quavis alia diœcesi (non solùm per quam transit, sed in qua habitare sub obedientia debet) approbatum; opposi-

tâ tamen sententiâ longè probabilior est, & in conscientia securior.

Prima pars probatur, tum ex concessione Clementis VII. cujus fit mentio in nostro compend: verbo: *Absolutio quoad sæculares.* §. 1. n. 16. fol: 32. impress: Venetæ. his verbis Clemens VII. concessit: *quòd fratres ordinis Min: semel præsentati alicui Episcopo, pro confessionibus audiendis (ut moris est præsentare) post unam præsentationem, non teneantur ampliùs præsentari, etsi ad aliam transierint diœcesim.* Tum etiam, quia Episcopi, (de quorum jure agebatur) in Trid: collecti, si voluissent regulares subijcere pluribus approbationibus, id expressissent claris terminis, quod cùm non fecerint, adversus illos est interpretatio facienda, juxta Regulam illam juris in 6. *contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, & non dixit, est interpretatio facienda.* Tum denique, quia semel sic approbatus, ut docent multi Doctores, cum Henriques, in sum. lib. 6. cap: 12. n. 4. potest, à Parocho alterius diœcesis assumi licitè, sinè nova Episcopi approbatione, ad confessiones parochianorum audiendas: ergo alterius Episcopi approbatio, necessaria non est. lege Remiss. cap. 15. Sess. 23. Trident: Cassaing, & alios fautores hujus sententiæ. Interea adverte, quòd huic etiam sententiæ faveant ea, quæ conclusione præcedenti dixi.

Probatur 2. pars, tum ex multitudine Doctorum illam tenentium, tum ex verbis Trid: nam ly *approbationem ab Episcopis*, designat approbationem Episcoporum diœcesium, ubi

ubi cōfessiones ordinariè audiuntur à Regularibus, requiri, ut cum Roderico tomo 1. q. 49. art. 5. docent alij nostri Doctores communiter. Tum denique quia Clement: *Dudum*, à tot confirmata Pontificibus, non dat nobis, nisi jurisdictionem ad modum Curatorum: sed ipsi Curati non solùm non possunt alterius diœcesis oves curare, & absolvere, sed nec alterius Parochi, ejusdem Diœcesis, sinè ipsius vel Episcopi licentia: ergo nec nos Religiosi, alterius Diœcesis oves, sinè nova approbatione audire possumus, extra Diœcesim, in qua sumus approbati. lege Dianam part: 2. tract: 4. de Sacrament: resol: 110. Interea

Hæc sunt hic observanda: 1. Episcopum posse justâ interveniente causâ (v. g. si rationabiliter non judicentur sufficienter docti) restringere Regularium approbationes, ad audiendas virorum tantùm confessiones: non autem sinè causa legitima. *Secundò*, Regularem semel approbatum in una Diœcesi, etiamsi diu extra illam maneat, adhuc post reditum in eam, posse audire confessiones, sicut antea, ex privilegio Evgenij IV. nobis concesso, vivæ vocis oraculo, ut videre est apud Roder: & in Spec: nostro tract: 1. fol: 49. *Tertiò*, Episcopum non posse restringere approbationem Religiosi docti ad non audiendas fæminarum confessiones, quia juvenis est, 30. v. g. annorum; nam Parochi assumuntur, (ut de illorum scientia, omnibus nota, nihil dicam) qui non attingunt trigesimum annum, quibus tamen Episcopus *Observanda circa approbationem Confessariorū.*

pro-

prohibere non potest, ut fæminarum sibi subjectarum confessiones non audiant; ut Doctores communiter docent: ergo nec Regularibus, qui (ut antea probavi) similem cum Curatis habent jurisdictionem, ob similem causam, prohibere potest, ut non audiant fæminas. Lege Villalob. & Dianam 3. part. tract. 2. & 4. p. tract. 4. resol. 200. Jam sit

Regularis injustè rejectus, hoc ipso audire potest confessiones, tamquam approbatus

ASSERTIO XXXII. Regularis legitimè præsentatus, & à suo Superiore idoneus repertus; sed ab Episcopo injustè rejectus, hoc ipso censeri debet approbatus; unde Ordinario invito, audire potest sæcularium confessiones, in illa Diœcesi. Hæc est communior inter Doctores Regularium.

Et patet, tum ex simili concessione, à Bonifacio VIII. nobis facta, in extravag. *supra Cathedram*, anno 1259. quam postea nobis confirmavit Nicolaus V. anno 1450. in Bulla, *Sincera*, Tum ex Clement. *Dudum*, in qua eadem facultas expressè Regularibus ampliatur. Tum etiam ex generali Lateranensi Concilio sub Leone X. in Bulla: *Sacro approbante concilio*, in qua hæc verba habentur: *Possint Regulares per Episcopos, & Prælatos, super sufficienti literatura, & aliqua saltem hujus Sacramenti peritia, duntaxat examinari, talibúsque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis, confitentes, constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexûs, quoad confessiones duntaxat, satisfecisse censeantur.* ergo ex verbis Concilij clarè colligitur conclusionis veritas. Tum denique, quia non est credendum, Conc: Trid: Sess: 23.

cap:

cap: 15. de Reform: per ly *nisi approbationem obtineat*, voluisse confovere quosdam Episcopos (maximè Galliarum) in suis passionibus, & odijs adversus privilegiatos Regulares, quod haud dubiè faceret, si capaces quoad scientiam, & probatos quoad mores, posset reijcere.

Probatur concl: 2. Frustra privilegia religiosis fuissent concessa, in ordine ad confessiones audiendas, si idoneo Regulari præsentato, Episcopus posset approbationem negare; ergo non potest, & consequenter cùm approbatio Episcopi, non gratiæ, sed justitiæ opus sit, ut docet Suares, de pœnit: disp: 28. Sect: 4. n. 22. & Sect: 5. n. 5. & insuper, quòd *jura juribus* (ut dicunt Juristæ) *sint concordia*. Regularis in casu conclusionis potest uti jure suo, in Clement: *Dudum* expresso; & sic licitè audire confessiones. Lege Roder. Peirin. Villalob. Portel. Layman: Fagand. Sagard: Henriq. (qui Doctores Salamaticenses, & Complutenses, simul cum Cardinalium declarationibus citat pro hac sententia) Dianam, & Gammacheum, qui tom: 3. tract: de pœnit: cap: 18. præter jam nominatos, citat Navarrum, cum alijs multis pro nostra conclusione.

ASSERTIO XXXIII. Regulares approbati à suis Prælatis tantùm, possunt audire, non solùm omnium Regularium suæ religionis (nisi statutis specialibus id prohibeatur) confessiones; sed etiam sæcularium, qui verè sunt de familia, & illorum commensales. Hæc est Roder: tom: 1. q. 56. art. 14. Barb: *Regularis à suo Superiore approbatus potest audire confessiones etiam sæ*

cularium domesticorum. Barbs in declarat: cap: 15. Sess. 23. Trident: n. 3. Peirin. tom. 1. fol: 62. & *probatur*, quoad altimam partem, de qua sola est difficultas, Tum, quia nobis Clemens IV. & Sixtus IV. hoc concesserunt privilegium, & Martinus V. idem concessit monachis Benedict: ut videre est apud Rodericum jam citatum. Tum etiam quia hoc non obstat Trident: jam citato, nam loquitur de sæcularibus, & quidem de illis, qui verè de familia, & continui commensales non sunt, ut declaravit sacra Congregat: 4. Augusti, an. 1568. apud Barbosam, in Remissionibus.

Confessio Religiosi. *Iam pro fine* hujus materiæ, hæc observa: *Primò*, Regularem mendicantem ordinariè non posse confiteri, nisi alicui ex sua religione, quia in illum alius non habet jurisdictionem. *Secundò*, ex concessione Sixti IV. nostri fratres itinerantes confiteri possunt, in defectu Confessarij Ordinis, etiam sæculari Curato, ut docent ambo Roder: cum Portel. quos fusiùs in hac materia consulere licet. Interea.

Aperire possumus literas S. pœnitētia. *Adverte:* Confessarios nostros approbatos, & alios idoneos, ex concess: Greg: XIII. facta Societ: JESV an. 1582. in Bulla: *Exponi*, quamvis nullo gradu in Theologia sint insigniti, posse aperire literas S. Pœnitentiriæ directas, in foro conscientiæ, ad Magistros Theologiæ, vel in jure Canonico Doctores, & auditis confessionibus, cum talibus literis, destinatorum, illos absolvere, cum eisque dispensare, juxta prædictarum literarum dispositionem, seu tenorem. Jam sit

AS-

ASSERTIO XXXIV. Conservator Judex est, Pontificiâ authoritate delegatus, ab eóque cujus interest, nominatus, cui ex officio competit tueri patientes, a manifestis injurijs & violentijs. est communis, & colligitur ex cap: finali. §. *ut autem.* vers. *officium, de officio delegati in 6.*

Conservator describitur.

De officio conservatoris hujusmodi, fusè agunt nostri. Roder: tom. 1. q. 65. per totum. Portel. verbo: *Conservatores.* (ubi in fine formam, instituendi Conservatorem, ponit) Rodericus junior, resol; 33, quos consulere poteris: In his enim partibus Germaniæ, officium Conservatoris in usu (in quantum scio) non est, sic paucis prius obiter notatis, ad utiliora transibo. Itaque

Adverte 1. ex varijs concessionibus nobis, & alijs Regularibus factis, licitum esse Religiosorum Superioribus eligere, & deputare, quem idoneum judicabunt in Conservatorem, qui illos tuetur contra omnes injustos invasores, suarum personarum, privilegiorum, & rerum: ita nobis concesserunt Sixtus IV. anno 1474. in *mari magno.* Innocentius VIII. apud Wading' in Reg: tom: 7. anno 1491. in Bulla: *Ordinis nostri.* Julius II. anno 1504. in Bulla: *In militantis.* apud Roder: Pius V. nobis, & Prædicatoribus 1571. in Bulla: *Ad hoc nos Deus.* apud Cherubin: Gregorius XIII. Jesuitis anno 1572. in Bulla: *Æquum reputamus.* Gregorius autem XV. anno 1621. die 20. Septemb: in Bulla: *Sanctissimus.* de RegulariumConservatoribus multa notatu digna, in Bulla videnda, limitavit

Regulares eligere possunt quem volunt in conservatorem.

tavit circa conservatores; quibus tamen non obstantibus, possunt Regulares in singulis diœcesibus, & civitatibus, in quibus monasteria habent, eligere conservatores, quorum auxilio sua privilegia conservare possunt, ut declaravit sacra Congregatio in una Rossanen. 15. Aprilis, anno 1628. & 29. Januarij, 1633.

Eligi debet ex solis Ecclesiasticis.

Adverte 2. Conservatores eligi posse, & deberi, ex solis Ecclesiasticis indifferenter, sive Episcopi sint, sive Abbates, sive Canonici. *Tertiò*, sic à Superiore Regulari electum, sub excommunicatione teneri, ad acceptandum illud onus, nisi justam & legitimam habeat excusationem. Vide Mirand. tom. 2. q. 47. art. 1. & 7. Interea sit

Contributiones dare non tenentur Regulares

ASSERTIO XXXV. Mendicantes, & moniales, sub eorum cura viventes, omnes à contributionibus dandis, tam ex legatis sibi factis, quàm ex alijs quibuscunque bonis eorum, exempti sunt. Ita plurimi summi Pontifices illos exemerunt. Nos quidem & *Clarissas*, Paulus III. anno 1544. in Bulla, *Honestis*. Apud Peirin: *Socier: IESU* idem Pontifex anno 1549. in Bulla, *Licet debitum*. Apud Cherub: quorumvis ordinum *Moniales*, (& si expeditio fieri deberet contra Turcam) Paulus IV. 1560. in Bulla, *De statu Ecclesiarum*. Et Pius V. omnes ordines mendicantium, Anno 1566. in Bulla, *Dum uberes*. apud Cherub: & in alia anno 1567. edita, quæ incipit: *Etsi mendicantium*.

Non observatur privilegium.

Hæc privilegia modò in solis libris strictè observantur, nam Regulares, etiam mendi-

can-

tantes omnes (si nos Franciscanos de observantia, cum nostris Capucinis excipias) æquè contribuere in his partibus debent, ac sæculares. De Conventibus vide, quæ dixi in verbo, *ædificare.* Hic interea

Adverte, Vrbanum VIII. anno 1639. die 30. Maij, in Bulla, *Impositi nobis.* ut videre est in libro Procuratoris nostrorum Reformatorum Romæ, anni 1637. fol. 33. confirmâsse nobis concessiones Conventuum, & domorum à nobis receptarum, per quoscunque, & quomodolibet factas, in favorem fratrum nostrorum. *Conventus*

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ VII.

An consultum esset Regularibus privilegijs renunciare omnibus, si idem esset animus Ordinariorum omnium erga illos, ac est Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, Archi-Episcopi Pragensis?



COLVMNA VIII.

De Privilegijs incipientium in D. E. F. G. H.

De Decimis vide quæ dixi in hac parte Manualis. C. 2. *Decimæ.*

ASSERTIO I. Definitores, in nostra Seraphica Religione dicuntur certi Patres, *Definitores Minorum*

Patres, quorum consilio in decidendis,& definiendis rebus magni momenti, uti debent Superiores majores respectivè: Generalis enim assistentia Definitorum Generalium, & Provincialis Definitorum provincialium uti debent. de his hæc sunt notanda:

Primò, in quavis Provincia communi vocalium consensu, quatuor eligi debere Patres, probatæ vitæ, in Definitores, quorum quivis 15. annum Religionis ad minimùm agere debet.

Secundò, Gregorius XV. die 24. Februarij, anno 1622. in Bulla, quæ incipit: *Militantis Ecclesiæ*, constituisse, *quòd qui officio custodis*, (hoc supra Definitoris officium nihil infert, præter præcedentiam, nisi votum in generali Capitulo) *vel Definitoris functi sunt, nullo modo possent reeligi, nisi sexennio vacationis transacto* (hoc est, nisi sexennio vacaverint, ut declaravit sacra Congregatio Card: 15. Novembris anno 1631. & Vrbanus VIII. die 6. Julij, anno 1636. ut videre est in libro Aracœlitano, P.Dominici à Neapoli fol: 139) addens: *irritum, & inane fore, si secus super his à quopiam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit, attentari, &c.* insuper, *sub excommunicationis pœna, Ministris, & Vicarijs generalibus, ac etiam sub pœna privationis officiorum, ipso facto incurrenda, ut prædictis pareant, statuit.* Hæc ad longum volui addere, ut mei Patres advertant, in quantum se visitatorum potestas, in hac parte, extendat.

Tertiò, Provincialem nullum decidere debere

bere gravem casum, sinè assistentia majoris partis Definitorum.

Quartò, Definitorem nec durante officio, nec finito triennio statim posse esse Guardianum. de hir lege Roder: juniorem Resol: 51. per totum.

De Dispensatione egi in mea Oecodomia, col: 11. de legibus, &. col. 6. hujus partis, meæ manualis. Unde hic tantùm hæc sunt observanda: *Primò*, Generales, & Provinciales mendicantium, nec nòn delegati ab ipsis Confessarij, possunt dispensare cum personis suarum religionum, in foro conscientiæ, super omni irregularitate, etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reservat, scilicet, in morte, membrorum obtruncatione, & enormi sanguinis effusione, dummodò tamen hæc non sint cum scandalo notoria. Et hoc, ex concessione Martini V. facta monachis Vallisolet. in Hispania, ubi originale concessionis habetur, ut refertur in nostro compend: verbo, *Dispensatio.* n. 24. & in compend. Societ. ibidem §. 5. Author compend. Fuliens: §. 5. refert etiam Sixtum IV. anno 1483. 17. Cal. April: Pontificatûs sui anno 2. hoc privilegium dedisse Carthusien. ejúsque fit in illorum statutis mentio. part. 2. cap: 7. n. 18.

Dispensare possunt Confessarij nostri in multis.

Secundò, Prælatos mendicantium posse dispensare, & rehabilitare, in privatione officiorum, quam quis incurrit, ob aliqua delicta, ob quæ, per constitutiones Apostolicas, delinquentes sunt ipso facto officijs privati, & inhabiles ad alia officia declarati. ita Pei-

Possunt in pœna privationis officiorum.

rin. tomo 1. fol. 117. num: 23. & 24. Rodericus, & alij.

Item cum incestuosis. *Tertiò*, Confessarios mendicantium approbatos, & deputatos à Provincialibus, posse dispensare in foro conscientiæ, cum incestuosis conjugibus, in primo vel secundo gradu, ad petendum debitum. ita nobis concessit vivæ vocis oraculo, Pius V. die 27. Septembris, anno 1569. apud Rodericum tomo 1. q. 47. art: 1. & compend: Societatis, verbo: *Dispensatio*. §. 8.

Item ad petendum debitum cum illo qui vovit castitatem *Quartò*, Confessarij nostri, & consequenter aliorum mendicantium (si sunt viri docti, & juxta Trid: formam approbati) ex commissione Provincialis, dispensare possunt, in ordine ad petendum debitum, cum conjugibus, qui post simplex castitatis votum, matrimonium contraxerunt. Ita nobis concessit idem Pius V. die 26. Octob: an. 1569. ut refertur in compend: Societ: JESV, jam citato §. 9. Vide alia, quæ de his dixi antea, col. præcedenti, verbo, *Absolutio*. *De Ecclesia*, vide quæ dixi col. 6. verbo, *Consecrare*. & verbo, *Bona*. Jam sit

Eleemosynam possunt ubique médicare. ASSERTIO II. Eleemosynam liberè, & licitè mendicare, ubique fratribus nostris licitum est, prohibetúrque locorum Ordinarijs, Parochis, & alijs quibuscunque personis, sub pœna excommunicationis, suspensionis (si sint capaces) & interdicti ingressûs Ecclesiæ, nè directè aut indirectè nostris in hac parte sint molesti. ita ordinârunt Bonifacius IX. anno 1402. in Bulla, *Ad uberes fructus*, apud Wading: in Reg: tomo 5.

Six

Sixtus IV. anno 1479. in Bulla, *Sacri Prædicatorum.* Et Leo X. annò 1518. in Bulla, *Exponi nobis*, apud Rodericum.

De electione, requisitísque conditionibus ad hoc, ut sit Canonica, vide Trid: Sess: 25. cap: 6. de Regul: Navarrum cons: 4. tit: de elect. Roder: tom. 2. q. 51. Roder. juniorem Resol 58. & Portel. verbo, *Electio.* qui de illa materia fusè agunt. Eam ego obiter tangam. Unde sit

ASSERTIO III. Electio bene describitur: Idoneæ personæ ad dignitatem, vel fraternam societatem, servatâ formâ Canonicâ, facta vocatio. Ita Hostiensis. & Joan. Andreas, citati à Roder: tom. 2. art. 1. *Electio describitur.*

Ad electionem, ut sit Canonica, in Ordine nostro, hæc requiruntur: *Primò*, tempestivè citari debent omnes, ad quos de jure, vel consvetudine spectat (non vocatus enim, protestando contra electionem, redderet illam nullam) suffragium dare. *Secundò*, Electores possunt inter se, antequam ad locum electionis à Præside convocentur, de meritis, & qualitatibus eligendorum (sinè tamen omni subornatione) discurrere, nè ex ignorantia contingat eos indignum eligere. *Tertiò*, Electio debet esse libera taliter, ut vocalibus liceat, absentem etiam Patrem, non vocalem, in Provincialem v. g. eligere: unde si *Præses* seu *Commissarius* prævijs minis, vel alio insulso agendi modo, terreret electores; & sic induceret ad unum ex tribus, quos ipse nominaret, eligendum in Provincialem, electio ipso jure esset irrita. & nulla. *Ejus, ut sit Canonica, conditiones.* *Libera esse debet electio.*

Casus extraordinarius proponitur *Sed quid*, si Præses, aliàs arrogans, & imperiosus, vocatis priùs ad cellam multis vocalibus, quos timidos, & simplices (nè dicam ignorantes) judicaret; diceretque se velle, ut ex tribus, quos nominabit pro, v. g. Provincialatu, eligant primum in ordine, & similiter in Custodem, primum quem nominabit? *Quid si diceret* publicè, se velle, ut Cajus, qui per sexennium non vacaverit; reeligatur in Definitorem, & sic à timidis electoribus fieret? (scio certò hæc alicubi contigisse, ubi quidam vocalis, aliàs doctus, potuit remediū juris, contra nullitatem electionis quærere, sed amore pacis noluit) &c. in illis casibus, & alijs, in quibus libertas electi-

Resolutio casûs. onis, ullo modo illicito, constringitur, electionem Provincialis, & dictorum Definitorum fuisse ipso jure nullam, & invalidam, Præsidem mortaliter peccâsse, & incidisse in pœnas Bullæ Pij V. quæ incipit: *Pastoralis officij.* quæ Romæ anno 1571. die 28. Maij, in gratiam fratrum nostrorum. edita est: Illum verò, qui notavit essentiales electionum illarum defectus, malè fecisse, quòd publicè, contra validitatem illarū non protestatus fuerit, obligando se ad pœnam talionis, si non probaret, electiones dictas nullas fuisse.

Prima pars responsionis patet; tum ex cap: *Ubi periculum.* §. *Caterùm.* de elect. in 6. & ex cap: *Cùm terra.* de elect. Tum etiam ex communi sensu omnium Doctorum. Tum denique ex nostris generalibus statutis Tolet. cap: 7. §. de elect. annullantibus omnem similem electionem.

Secun-

Secunda pars patet, tum quia in re gravi fecit Præses contra constitutiones Apostolicas, & Ordinis; ut fusè probant jam suprà nominati authores. Tum etiam quia injustè privat electores potestate omnimodâ liberâ, quam habent ad eligendum quem volunt, modò indignum excludas. Tum denique quia in causa est, quòd sic, non canonicè, electi exerceant officia, ad quæ re verâ non sunt assumpti: ergo peccat mortaliter.

Patet etiam tertia pars de pœnis, ex his, jam citatæ Bullæ, *Pastoralis officij*, verbis, *quòd provincialium Ministrorum electio, libera per vota secreta fiat, ita ut Commissarius generalis, vel qui electioni præsidet, si formam prædictam transgredi, seu electores* (sinè speciali facultate Apostolica) *quò minùs liberè eligant, quovis modo impedire convictus fuerit, officio privatus existat.*

Ultima etiam pars patet, quia talis vir dissimulando, approbare videtur malum factum Præsidis; ergo. Lege Trid: Sess. 25, cap. 6. in fine, & videbis quibus pœnis sic electi puniuntur à jure, si in talem electionem consentiant.

Hic autem adverte, jam dicta non obstare, quò minùs electio possit, juxta varias Apostolicas, & generales nostras constitutiones, restringi ad certam Ordinis familiam, (prout in electione nostri generalis Ministri solet, & debet ex Bulla, *Unionis*, Leonis X. fieri) vel etiam pro pace conservanda, ad certam nationem, ut docent ambo Roderici suprà citati, & Doctores communiter, ut v.g.

 alter-

alternis vicibus eligatur Provincialis, ex Austriacis, & Styris; quia talis coarctatio non est contra libertatem vocalium. Jam ad alia.

Quartò, Electio debet fieri per vota secreta, in schedulis scripta, subscripta, & signata, seu clausa.

Quintò, sub mortali peccato electores tenentur eligere dignum; non verò magis dignum, quamvis meliùs fecissent, hunc eligendo.

Sextò, si indignus reverâ eligitur, Præses debet electionem nullam declarare. Cautiùs tamen debet esse in hac parte, ne passionibus contra electum incitatus, indignum judicet, qui aliàs dignus esset.

Notandæ sunt hæ conditiones electionis apud nos.

Septimò, absentium v. g. Guardianorum vota, Præses supplere non potest, substituendo alios non vocales, illorum loco, nisi absentes legitimè impediti, consentiant in talem substitutionem.

Octavò, si uno die naturali Electores, circa electionem non consentiant inter se, Præses Pontificiâ authoritate, potest eligere in Provincialem v. g. quem voluerit in Domino.

Descendẽtes ab hæreticis excludũtur; quare non etiam illi qui hæretici formales erant?

Nonò, in Ordine nostro nullum eligi debere in Prælatum, Custodem, vel Definitorem, qui intra quartum gradum descendunt ex *Iudæis*, *Saracenis*, & *hæreticis*, quorum corpora, ossa, vel statuæ combusta sunt, vel quorum Progenitores paterni, vel materni, hæretici declarati sunt; & si taliter ab hæreticis descendens, eligeretur, subditi illi obedire non tenentur. Ita declaravit, & mandavit

vit Paulus IV. anno 1558. Pontificatûs sui anno IV. cujus constitutionem (videant illam apud Roder: tom: 1. q. 14. art. 1.) confirmârunt Pius IV, anno 1559. & Gregorius XIII. anno 1574. & nostra generalia statuta Vallesolitana, anno 1593. tit: *de qualitat. promovendorum ad officia*, mandant, sicut & Tolet. anno 1621, nè descendentes ab hæreticis suscipiantur, aut promoveantur, si suscepti sint.

Quid igitur dicendum erit de illo, qui natus fuit ex hæreticis parentibus, mansitque hæreticus formalis, per annos v. g. sedecim, tandémque abjuratâ hæresi, Ordinem intravit, & professus est: an ad officia Prælaturæ sit assumendus? ℞. (salvo meliori judicio) quòd nullo modo (præsertim si non constet certò, quòd non descenderit ab hæreticis sic declaratis, quod ipsi probare incumbit antequam eligatur) & ratio est, quia ubi idem militat finis, eadem militare debet prohibitionis ratio: sed finis qui movit Pontifices, & Patres ordinis, in generali Capitulo congregatos, ad excludendos descendentes ab hæreticis, ab officijs Prælatorum, fuit odiũ hæresis; ergo jam conversos ab hæresi formali, ab illis officijs excludi volunt.

Decimò, Electores debent bene attendere ad ordinis constitutiones generales, & provinciales, & sic nullum eligere in Provincialem, v. g. qui in Religione annos à statutis requisitos, non habet: ætatis nimirum annos, ad minimùm 35. & Religionis 20. Vide de hac materia Roder. & Mirandam, suprà citatos. *Ætas requisita ad Provincialatum.*

Episcopi in Regulares authoritas

De Episcopis fusiùs mox agam, interea hæc sunt notanda: *Primò*, Episcopum non posse per censuras mendicantes compellere, ad observanda Congregationis decreta, circa processiones, & Venerabilis expositionem. Ita declaravit ipsa sacra Congregatio in una Vercellen. 20. Maij, anno 1616. teste P. Francisco de Torano. *Secundò*, Episcopi non esse dare licentiam Regulari ad prædicandum in propria Ecclesia; unde sufficit, ut obtentâ licentiâ sui Superioris, petat ab Episcopo benedictionem. Ita censuit sacra Congregatio citata à Roder: tom: 3. q. 32. art: 5. & Barb. in cap: 2. Sess. 5. Trid: *Tertiò*, Episcopum non posse visitare Ecclesias, Sacristias, tabernacula, aut ulla alia spectantia ad Ecclesias mendicantium, curam animarum non habentium (bene tamen possunt juxtra Trident: Sess: 23. cap. 8. visitare Confraternitates in illis erectas) ut declaravit sacra Congregatio, 26. Jan: an: 1619. apud Peirin. tom. 1. privil: n. 18. & Quarant. in sum: Bull: verbo *Privil: Regularium*. *Quartò*, Episcopum non posse per se aut alium, ad Religiosorum capturam procedere, (nisi de fuga sit gravis suspicio, vel periculum) sub pœna excommunicationis, ut tradunt Henriq: lib. 7. de indulgent: cap: 25. & Peirin. tom. 3. n. 61. colligitúrque ex cap: *Suadente diabolo*. 17. q. 4. *Quintò*, Episcopum posse obligare Prælatum Regularem, ut Religiosum notoriè & scandalosè extra claustrum delinquentem, puniat intra tempus ab ipso præfixum: quòd si facere noluerit,

rit, officio privari debet, & delinquens Regularis ab Episcopo puniri poterit. Ita Trident. Sess: 25. cap. 14. *Sextò*, Regulares sinè obedientialibus per diœcesim scandalosè vagantes, ab Episcopo puniri possunt, ut docent Doctores omnes, post Trid: Sess: 25. cap: 4. *Septimò*, in casu negligentiæ Regularium, Episcopus potest dare monialibus, ipsis subjectis, extraordinarium Confessarium ejusdem Ordinis, vel etiam alterius, ut declaravit sacra Congregatio, 20. Decembris, an. 1621. apud Barb: in collect: verbo, *Moniales*. n. 32.

ASSERTIO IV. Eucharistiam mendicantes possunt in suis Ecclesijs, decenter tamen, servare; illámque ibi quibuscunque Christi fidelibus, quovis anni tempore (Curatorum licentiâ minimè requisitâ) ministrare, præterquam in festo Paschali (per hoc intellige diem illam, quâ Parochianus, annuæ communioni Paschali, satisfacere intendit) & mortis articulo. Hæc est communis, *Eucharistia à mēdicantibus ministrari potest, & servari*

& patet prima pars, ex concessione Clementis VII. facta nobis, & Clarissis, ut habetur in nostro compend. verbo, *Eucharistia*. Et Pauli III. Societati, ut habetur eodem verbo, in illorum compend. §. 1.

Secunda pars patet, ex concessionibus Leonis X. Nicolai V. & Sixti IV. nobis factis, ut videre est in compendio, verbo, *Communicare*. Et Pauli V. Societati, anno 1545. & anno 1549. in Bullis: *Cùm inter cunctas*, & *Licet debitum*. apud Roder. & Cherubin.

Ultima pars patet similiter, ex concessione

Sixti

Etiam invito Parocho. Sixti IV. quam Leo X. ita limitavit (ut videre est in nostro compend. verbo jam citato) *quòd*, nimirum, *non possint nostri Viaticum conferre ijs, quorum confessiones audiunt, nec etiam extremam unctionem invito Parocho, nisi vicinorum. testimonio constet, Parochum malitiosè non velle, illa Sacramenta administrare infirmo, quo casu jus ministrandi Regulari competit, sic ut competit toties, quoties Parochus consentire voluerit.*

Ex privilegio à Julio II. anno 1506. in Bulla, *Dudum ad sacrum*, apud Cherubin: & Peirin. possunt mendicantes omnes, quoties opus fuerit, in suis Ecclesijs quibuscunque personis, maximè verò peregrinis, ministrare, ac ministrari facere Evcharistiæ Sacramentum. Vide supplement. Minorum concess: 143. nec non Oecodomiam meam, colum: 35. de Evcharistiæ Ministro, & Compendium Societ: verbo, *Eucharistic.*

Exemptio describitur & dividitur. ASSERTIO V. Exemptio regularis describitur, liberatio quâ quis eripitur, & liberatur à potestate Ordinarij, stante subjectione immediatâ ad Romanum Pontificem; hæc est bona, & colligitur ex cap: *cùm persona*, de privilegijs in 6. & ex cap: *Si Papa*, ibidem.

Exemptio dividitur in personalem, quâ persona, localem, quâ Ecclesia v. g. & universalem, quâ tota una communitas, v. g. cum rebus ad illam spectantibus, eximitur ab Ordinarij jurisdictione, de quibus vide quæ dixi de privilegijs in genere. Jam sit

ASSERTIO VI. Personæ Ecclesiasti-

siasticæ sive sæculares sint, sive Regulares, jure divino exemptæ sunt à sæculari jurisdictione, bona autem illorum solo jure humano exempta sunt. *Prima pars patet*, ex Script: Psal: 104: *Nolite tangere Christos meos, &c.* Matth: 17. *Ergo liberi sunt filij.* Tum etiam ex sacris Canonibus idem affirmantibus, in cap: *Si Imperator.* 96. dist; & cap: *Continua.* 11. q. 1. *Rationes* D. Thomæ, & aliorum contra hanc partem, solutas vide, apud Rodericum tom: 2. q. 61. art. 2. Interea *Exemptio personarū Iuris divini, bonorum, humani tantùm est.*

Probatur secunda pars, tum ex cap: *Ecclesia S. MARIÆ.* de constit: & ex cap. *Sylvester* 1. q. 1. Tum etiam ex Concilio Trident: Sess. 25. cap. 20. de Reform. vide Turrecremat. in cap: *Cùm ad verum.* 96. dist. & Rodericum jam citatum, art. 3. & 4. & videbis, quòd illa exemptio non obstet, quò minùs Judices sæculares, urgente necessitate, possint sequestrare triticum, etiam Regularium, pretio taxato ipsis dato.

ASSERTIO VII. Non solùm jure communi antiquo, Regulares subjecti erant Episcopis, sed etiam defacto in certis casibus sunt illis subjecti. *Prima pars probatur*, tum ex sacris Canonibus, cap: *Qui verè.* 16. q. 1. & Conc: Tolet. 1. cap. 15. & Chalced. c. 4. & 8. *Tum etiam*, quia exempti sunt ab illorum jurisdictione: ergo sub illorum potestate erant. *Subjectio Regulariū*

Probatur etiam 2. pars, assignando loca Concilij Tridentini, quibus subijcimur in certis casibus Episcopis. Et sunt hæc Sess. 5. cap. 2. de Reform. Sess. 6. cap. 3. de Refor.

Sess.

Sess. 7. cap. 7. & 14. de Reform, à versu *addendo*, & infra. Item Sess: 23. cap. 16. §. *Nullus*. & Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrimonij, versu: *Quòd si quis Parochus*. & cap. 2. de Reform. & ibidem cap. 4. versu: *Nullus*. Item Sess. 25, c. 4. versu, *Qui verò*. & seq. & cap. 11. & 13. *quoad praecedentias*, & cap. 14. & 16. in fine de Regularibus. ergo in certis casibus, quorum frequens fuit, & erit in hoc tractatulo mentio, defacto sumus Episcopo subjecti.

Potuit Papa Regulares eximere.

ASSERTIO VIII Potuit summus Pontifex eximere Regulares ab Episcoporum jurisdictione, nullam per hoc Episcopis injuriam faciendo. *Probatur 1. pars*, tum quia exemit illos, ut statim dicemus; ergo potuit illos eximere. Tum etiam quia Christus potuit illos eximere: ergo & Papa Christi Vicarius, & visibile caput Ecclesiae. Tum deniq; quia spiritualis Episcoporum potestas derivatur, & pendet à Pontifice, ut colligitur ex cap: *Qui resistit*. 11. q. 3. ergo potuit illam coarctare subtrahendo Regulares, ab illorum jurisdictione. *Probatur 2. pars*, qui jure suo ûtitur, alteri injuriam non facit; sed Papa eximendo Regulares ab Episcoporum potestate, utitur jure suo: ergo illis non facit injuriam.

Regulares exempti sunt.

ASSERTIO IX. Mendicantes Regulares, defacto ab Ordinariorum jurisdictione exempti sunt. Haec est communis inter Theologos omnes, & Canonistas recentiores, & *probatur* ex tot Pontificum Bullis, quorum fit in nostro compend: verbo, *Exemptio*

ptio. mentio & in compend. Societ. ibidem. Sic nos Franc: eáque omnia, quæ ad nos spectant, exemerunt. Gregorius IX. anno 1240. in Bulla: *Inducimur*, apud Wading: in Reg: tom. 1. Nósque etiam, & Dominicanos, idem Pontifex, *In decretalibus* de *excessibus* Prælatorum, cap: *nimis iniqua*. & cap. *nimis prava*. apud Wading: jam citatum. Alexander IV. anno 1255. in Bulla: *Inducimur*. apud Wading. in Reg. tom. 2. Clemens IV. anno 1265. in Bulla: *Virtute conspicuos*. & Nicolaus IV. an. 1288 in Bulla: *Quia nonnulli*. Bonifacius VIII. anno 1295. in Bulla, *In cæteros*. Joannes XXIII. anno 1410. in Bulla, *Sacra vestra*. Nicolaus V. an. 1450. in Bulla: *Etsi cunctorum*. Sixtus IV. anno 1474. *In mari magno*. Innocentius VIII. anno 1486. in Bulla, *Ex debito*. Paulus III. anno 1546. in Bulla, *Romani Pontificis*. Et Pius V. in Bulla: *Etsi mendicantium*. (jam assignatæ omnes Bullæ apud Roder. vel Wad: & Cherub. habentur) similiter *Dominicanos* exemit Sixtus IV. anno 1477. in Bulla, *Sacri Prædicatorum*. apud Cherub: Idem etiam *Carmelitas*, anno 1477. in Bulla: *Sacer Ordo vester*. exemit apud Cherub. Et *Minimos*, anno 1474. in Bulla, *Sedes Apostolica*. Item *Servitas* exemit Vrbanus VI. anno 1379. in Bulla, *Sacrosancta*. apud Cherub. similiter *Patres Societ.* exemerunt, tam in personis, quàm in rebus omnibus concernentibus eos, Paulus III. anno 1549. in Bulla: *Licet debitum*. apud Roder. Paulus IV. anno 1555. in Bulla: *Ex clementi*, apud eundem & Cherubin,

bin. *Alij omnes* Regulares per specjales concessiones Pontificum exempti sunt, ut videre est apud Roder. tom. 2. q. 60. per totum, similiter *Moniales* nostræ, & aliorum per speciales Bullas, exemptæ sunt: ergo Regulares mendicantes defacto ab Ordinariorum, etiam Legatorum (modò de latere non sint) exempti sunt.

A Legatis à latere exempti non sunt.

His adde, quòd Regulares jure communi cum omnibus rebus pertinentibus ad illos eximantur à lege diœcésana, in cap: *quoniam sit necessarium*, 18. q. 2. & in cap: *Volentes*, de privileg. in 6. ubi prohibetur, *nè quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus, monasteriorum suorum monachos* (mendicantes omnes in favorabilibus sunt monachi.) *pro ulla causa, ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat*. & cap: *Suborta*. de *sentent. & re judic:* in quo annullantur omnes processus, sententiæ & actus jurisdictionis, emanati ab Episcopis contra Regulares. lege Rodericum juniorem Resol. 63. per totum, ubi doctè & compendiosè hanc tractat materiam. & compend. Minorum, verbo, *Exemptio*.

Extrema unctio.

Extremam unctionem nostri liberè, & licitè possunt conferre omnibus, qui intrà domorum, & Conventuum nostrorum septa infirmantur, Parochi consensu nullatenus requisito. Ita nobis concessit Sixtus IV. an. 1474. *In mari magno* & ante nos anno 1436. *Benedict: Congreg. S. Iustinæ*, Evgenius IV. in Bulla, *Regularem*. apud Cherubin. vide compend. nostrum, & Jesuitarum verbo, *Extrema unctio*.

Famu-

Famulos quod attinet, vide quæ dixi de confessione, & communione. *De festis* aliud non occurrit, præter ea, quæ in rubricis nostri Breviarij, de celebratione festorum Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Stigmatum S. Francisci, & similium, exprimuntur, nisi ut *Adverțas primò*, Regularem obligari ex decreto Concil: Trid: Sess: 25. cap. 12. ad observandos, dies festos, quos in diœcesi servandos, Episcopus præcipit. Vide Roder. tom. 2. q. 62. art. 10. & Portel, verbo, *Festi dies*.

F. Famuli. Festa.

Adverte 2. Sixtum IV. (Bullam vide apud Roder. in Bullar: fol. 317.) annumerâsse festum *S. Patris nostri Francisci*, inter festa fori, omnibúsque Christi fidelibus strictè mandâsse, ut illâ die ab omni servili opere abstineant. De hoc præcepto, non capio, cur dubitare voluit Suares. tom. 1. de Relig: lib. 2. cap. 9. n. 22. cùm Bullam ipsam legere poterat: sit quomodocunque, Seraphico Patri nostro Francisco, non infima gloria est, quòd per totam Christianitatem, non intuitu præcepti, sed ex mera devotione erga Sanctum, ipsius festivitas ita ferè ab omnibus communiter observatur Catholicis, ut vix (extra Germaniam saltem) inveniatur, qui manè illius diei laboret.

Festum S. Francisci, chori est, & fori.

ASSERTIO X. *Fundatores* & *Fundatrices*, sicut & *Tutores*, & *Tutrices* fratrum nostrorum, eorúmque filij, & filiæ, & qui nascentur ex illis; uti possunt, & gaudere (in quantum capaces sunt, & eorum sexui competere possunt) omnibus, & singulis privile-

Privilegia fundatorũ & fundatricum nostrarum.

gijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentijs, quibus nos Minores utimur. *Probatur* ex ampla concessione Julij II. in Bulla, *Dum ad sacrum.* apud Roder. anno 1506 5. Calend Augusti, in gratiam nostrorum concessa. Ubi

Quinam fundatores dicuntur.

Adverte, nomine *Fundatorum* intelligi tria hominum genera; nimirum illos, vel qui fundum pro fabricando Conventu dant, vel qui Conventum pro majori parte ædificant, vel denique qui per modum eleemosynæ, dant reditus pro quotidiana fratrum, in numero competenti, sustentatione; *Fundatrices* autem dicuntur horum uxores, vel quæ per se, ex jam numeratis beneficijs, aliquod præstant.

Meritò igitur, liberalissimi nostri, in hoc fertilissimo Bohemiæ Regno, *Fundatores* (ut sunt primogeniti Excellentissimorum Dominorum *de Martinitz, Slavata, Wallestain, Sternbergk, Zwrtby, & de Sora,*) eorúmque consortes, *Fundatrices* dicuntur: nam fundum nobis dederunt, Conventus integros ædificârunt, & congruam sustentationem, pro duodecim saltem personis, (viginti quatuor fratres Itali, vel Hispani, vix consumunt tantùm) Germanico vivendi more, quotidie liberaliter subministrant.

Quinam Tutrices dicuntur?

Tutorum verò, & Tutricum nomine veniunt illi, vel illæ, qui Religionem nostram, ejúsque personas, verbis, & alijs quibus possunt modis, tuentur, contra corrodentes Antiregularium fauces, & vero cordis affectu nos

nos prosequuntur, vide Peirin. de privil: tomo 1. §. 24. n. 49. & 50.

Hinc infertur, Fundatores, & Fundatrices, eorúmque filios, filias, & etiam (in probabili sententia) domesticos, posse absolvi per Regulares, à multis casibus reservatis, & censuris, à quibus ipsi Regulares absolvi possunt. Item possunt adesse divinis officijs, tempore interdicti, eo modo, quo possunt Religiosi; dummodo tali interdicto causam non dederint, vel in specie interdicti non sint. Ita docet Peirin. de privil. tomo 1. §. 24. n. 52. & loquendo de illorum domesticis patet, tum ex cap: *Licet.* de privil. in 6. ubi dicitur, *quòd privilegium concessum uni personæ, ad celebrandum, & audiendum divina, tempore interdicti, extendatur etiam ad famulos, & domesticos ejus.* Lege Suarem de legib. lib. 8. cap: 11. n. 8. & constitutionem aliam Julij II. quæ incipit: *Aliàs venerabilem.* 29. Martij, anno 1507. apud Cherub. Consertium. & Peirin. in gratiam nostrorum Fundatorum emanatam, in qua conceditur illis, *semel in vita, die quâ volunt, & in mortis articulo, indulgentia plenaria*, & insuper ex constitutione, *Dum ad sacrum.* supra citata, in diebus stationum, si orant quinquies Orationem Dominicam, cum Salutatione Angelica, lucrantur omnes indulgentias, quas actualiter visitantes Ecclesias, intus & extra Urbem lucrantur.

De Generalibus Regularium, videant Religiosi suas constitutiones, & quæ subinde de illorum officio, in varijs locis hujus tracta- *G. Generalis electus.*

tùs tetigi, de illis hìc, hæc tantùm notare volui. *Primò*, inter mendicantes Generalem, eò ipso quò eligitur, omnimodam habere potestatem in fratres suos, ex concess: Clementis IV. nobis (ut videre est in compendio) Alexander IV. Carmelitis, anno 1256. in Bulla: *Quia Apostolici*, Et Pauli III. Societati, anno 1549. in Bulla, *Licet debitum*. apud Roder: facta. *Secundò*, Generalem posse explicare dubia, quæ circa Regulam, Constitutiones, & Privilegia oriuntur. Ita concessit Julius II. Ordini Prædicatorum, ut refertur in compendio Societatis, verbo, *Generalis*. §, 5. *Tertiò*, Generalem posse communicare suffragia Ordinis, benefactoribus ejusdem. Sic nobis concessit Vrbanus V. ut refertur in nostro compend. verbo, *Generalis*. n. 4. & Societ: §. 7. *Quartò*, Privilegia, & gratiæ omnes nobis concessæ, vel concedendæ, eandem omninò vim habere, tam *in judicio*, quàm *extra judicium*, si Generalis Ministri sigillo firmata sint, ac si plumbeo sigillo signata essent. Ita concessit Augustinianis Julius II. ut refertur in nostro compendio jam citato, num. 16. & Societatis, §. 8.

Guardiani nostri Prælati sunt.

ASSERTIO XI. Guardiani nostri (à Pastoribus pecorum, qui sic Italicè vocantur, S. Franciscus titulum illum accepit; nam sicut fratres voluit esse oves, sic qui quotidie custodiam illorum haberent, Guardianus à *Guarda* dicitur, Guardianos appellari voluit) veri Prælati sunt, eandémque in suos subditos habent authoritatem, quam

habet

habet Provincialis in totam Provinciam. *Prima pars patet*, tum ex modo, quo præsunt, & gubernant: tum ex Bulla Leonis X. cujus fit mentio in nostro compend. verbo, *Guardianus*, in qua vocantur Prælati, quorum determinationi, scrupulosi sibi subjecti, in dubijs suas conscientias tangentibus, stare possunt. Tum etiam ex Clemente IV. & Sixto IV. qui eos similiter compellant Prælatos, ergo.

Probatur etiam 2. pars, Julius II. ut videre est in compendio, Guardianis nostris, tanquam veris Prælatis, concessit omnia privilegia, & indulta Apostolica, ab ullis Pontificibus concessa Prioribus Dominicanorum: sed inter alia magna prærogativa dictorum Priorum (ut videre licet *in mari magno* Dominicanorum) hoc unum est, ut nimirum in fratres suorum Conventuum, eandem habeant authoritatem, quam Prior Provincialis, in totam habet Provinciam: ergo & Guardiani hoc habent. *Privilegium tamen hoc*, ipsis à Julio concessum, modò est utcunque coarctatum, per Generalia nostra, & Provincialia Statuta, confirmata à Summis Pontificibus.

Videant aliorum Ordinum mendicantium Religiosi, quid de authoritate suorum Prælatorum domesticorum, constitutiones propriæ disponant. Nulli, credo, in foro conscientiæ, ita obligantur, ad obtemperandum suis Rectoribus, Prioribus, &c. sicut Franciscani *Guardianis*; nam sub mortali peccato, vi voti, de observanda Regula S. Francis- *Singularis Franciscanorum obligatio.*

Q 3 ci,

ci tenentur illis in omnibus obedire, quæ non sunt contra animam, id est peccaminosa, & Regulam nostram. vide compend: verbo, *Guardianus*. & Rodericum tom. 1. q. 12.

Habitus Minorum. ASSERTIO XII. Habitum nostrum, nulli sive in vita sive in morte deferre licet, absque expressa alicujus Superioris nostri licentia. *Probatur* de vivis, ex constitutione Vrbani VIII. *Cùm sicut*. emanata 5. Octob. anno 1638. quâ districtè *Nuncijs*, locorumq; *Ordinarijs*, ubique terrarum præcipitur, nè quempiam de cætero, tunicam longam, ad modum Tertiariorum S. Francisci, aut ullo modo, cum, vel sinè capucio, & mantello, absque nostrorum Superiorum in scriptis licentia, deferre permittant, & si aliquem præmissorum transgressorem repererint, exutá veste, condignis carceris pœnis puniant: ergo.

Indulgentia morientium cū habitu nostro. *Secunda pars patet*, quia Clemens IV. Nicolaus IV. & Leo X. qui plenarias indulgentias, & peccatorum remissiones concesserunt, omnibus utriusque sexûs morientibus cum nostro, aut monialium nostrarum, habitu (sufficit, ut Leo declarat, si tantùm petant ante mortem vestē, & postea illâ induantur) requirunt, ut à Superiore aliquo habitus illis detur; ergo.

Vana disputatio aliquorum de forma Capucij. *De vera forma habitûs*, quo S. Franciscus usus est, multi disputant, sed inutiliter, nam pro diversitate benefactorum; diversis *Franciscus* usus est habitibus. Titulum Guardiani à pastoribus Italiæ accepit, ut jam dixi; formam etiam vestis ab illis commutavit (ut mihi

mihi certò persvadeo) vestis autem illorum est tunica longa, cum manicis, & capucio consuto, admodum acuminato, non ad illam formam, quâ nostri Capucini utuntur (tale enim Capucium S. Franciscus nunquam portavit) sed ad eum ferè modum, quo utuntur Augustiniani Reformati, quorum cornu, nec nimis longum est, nec dum capucio caput cooperiunt, retrò cadit: sic enim S. Franciscus stigmatizatus, à D. Joachimo Patriarcha Venetarum, in spiritu prævisus, affabrè depictus erat, Venetijs ad S. Marcum, ducentis annis antequam nasceretur, opere Mosaico; & defacto, prout ipse vidi, ibi observatur. Simili etiam opere, ac habitûs, & capucij formâ, videtur, cum S. Antonio Romæ, in sacra æde, sanctæ MARIÆ majoris depictus. Alibi varijs etiam alijs in locis, aliter depictus invenitur, prout videre est apud illos, qui integros libros de capucij, & habitûs S. Francisci forma scripserunt, disputantes de lana caprina: pauper enim S. Franciscus, pauperum mores imitatus, nunc hujus, nunc illius formæ vestem gerebat, prout necessitas exigebat, & devotorum affectus erga illum, vestem subministrabat. *Res mirabilis.*

Iam omissâ disputatione hac inutili, de Regularium habitibus, hæc observanda occurrunt: Primò, sæculares Sacerdotes, sive Parochi sint, sive non, sub excommunicatione teneri, ex declarat. Sixti IV. & Leonis X. ut nullo modo impediant illos, qui in habitu nostro sepeliri volunt. *Secundò*, Episcopum, & etiam Cardinalem Regularem, obligari ad *Alia habitum concernentia.*

suæ Religionis habitum, in colore semper gerendum. *Tertiò*, Regularem temerariè habitum dimittentem, incurrere excommunicationem. *Quartò*, sæculares utentes habitu Regulari ignominiosè in ludis, vel lascivis rebus, ex L. *authentica, de sanctiss: Epis:* §. *ultimo.* peccare mortaliter. *Quintò*, in certis casibus, licitum esse Religioso habitum dimittere, ut causâ sanitatis, vel dormiendi, (nisi statuta propria aliter mandent) evadendi periculum mortis inter hæreticos, & administrandi cum minori incommoditate Sacramenta Catholicis, inter infideles, vel hæreticos, commorantibus. Et hac de causa in *Anglia*, *Hibernia*, & *Scotia*, Religiosi omnes, dum exeunt è suis domibus, habitu dimisso, induunt vestes sæculares, & capillos fovent. Lege utrumque Rodericum, & Sylvestrum, verbo, *Habitus*.

Hæretici. *De hæreticis*, ac inquisitoribus hæreticæ pravitatis, vide quæ dixi in materia de fide, & quæ Portel. & Roder. junior eodem verbo habent; Inquisitores enim Germania non habet, sic de illis agere nolui; videat qui vult utrumque Roder. & Portel.

Horæ Canonicæ. *De horis Canonicis*, præter ea, quæ dixi colum. 1. hæc ad nostrum propositum hìc sunt observanda: *Primò*, Regularem mendicantem (sinè dolo tamen) omittentem partem divini officij, satisfacere orando Psalmum *Miserere*, aut alium quem vult, vel orando *Pater noster*, & *Ave MARIA*, ex concessione Innocentij VIII. nobis facta, ut refertur in monumento Ordinis fol. 69. concess: 149. & in

& in supplem. concess. 362. ac in nostro, & Societatis compend: verbo, *Hora*. *Secundò*, Regularem rationabili ex causa, licitè posse divinum officium, manè, aut quando ipsi magis commodum erit, simul recitare. Ita nobis concessit Pius V. ut refert Portel hic, & Compend: Societ §. 2.

ASSERTIO XIII. Jejunare quamvis tenentur Clerici nostri, tempore Quadragesimæ, & à festo Omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini; nec non in sextis ferijs totius anni, vi Regulæ, sub mortali peccato; non tamen tenentur jejunare vigilias, & quatuor tempora Ecclesiæ, & Sanctorum, nisi priùs vigesimum primum ætatis attingant annum. 1. *Jejunium Regulariũ*

Prima pars patet ex præcepto Regulæ nostræ, quam professi omnes observare vovent.

Probatur etiam secunda pars, quia ad illa jejunia non obligantur (secluso scandalo) magis quàm alij Christiani; sed alios Christianos, ante annum vigesimum primum inclusivè, Ecclesia non obligat ad jejunandum; ergo. Jam hic

Hæc alia ad hoc propositum, sunt obiter observanda: *Primò*, Regulares senes, attingentes nimirum sexagesimum annum, non obligari ad jejunium, quia senectus in illis morbus est: & sic ex concess. Pij V. relata à Sanches, lib. 7. de matrimonio. d. 32. n. 17. possunt tales senes, in Quadragesima, etiam in Hispania, & Italia (hic enim juvenes, & senes tempore jejunij, ovis, & lacticinijs vescuntur) lacticinijs vesci. *Secundò*, Prælatos *Observanda circa Jejunium.*

tos Ordinis, ut sunt Provinciales, Guardiani, &c. posse cum subditis dispensare rationabili de causa, in jejunio; ita nobis concesserunt Clemens VII. & Evgenius IV. *Tertiò*, Professores, & Concionatores mendicantium posse ex concessione Leonis X. & Sixti IV. nobis facta, anticipare, vel retardare horam comestionis, prout ipsis magis commodum erit; unde manè collationem, & vesperi cœnam sumere possunt. Item itinerantes possunt jejunium in aliam diem transferre, ita refertur in nostro compend. verbo, *Iejunium*. n. 4. & 5.

Immunitas Ecclesiastica. ASSERTIO XIV. Immunitatis Ecclesiasticæ causâ, ad Regularium Ecclesias confugientes (appellatione Ecclesiarum veniunt, Conventus, Collegia, & domus, cũ hortis, hortalicijs, claustris, officinis, & locis omnibus intra conventûs ambitum inclusis) inde extrahi non possunt, sinè expressa Episcopi, vel ejus Vicarij generalis licentia, à quocunque, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna; quâ etiam pœnâ Regulares puniuntur, qui sic confugientes tradunt, vel expellunt. Hæc est communis. Et

Probatur 1. *pars*, ex concessione Clementis VII. facta Prædicatoribus, anno 1265. in Bulla: *In quibusdam locis*. & ab Innocentio VIII. anno 1487. Servitis, *in mari magno*. à Pio V. omnibus Mendicantibus, in Bulla, *Etsi mendicantium*. Et à sacris Canonibus, omnibus Ecclesijs, in toto tit: C. *de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, in cap. *Definivit*. in cap: *Miror*. 17. q. 4.

Proba-

Probatur 2. *pars*, de Religiosis eijcientibus ad se confugientes, ex Bulla Gregorij XIV. anno 1591. quæ incipit: *Cùm alias.* quæ est moderatoria constitutionis Sixti V. ut refertur in nostro compend: & à Roder. juniore, Resol. 56. ex qua colligitur, quòd Regulares possint incurrere irregularitatem, si illorum culpâ ejecti mors sequeretur; unde cùm ordinarius sit recursus, ad nos mendicantes, omnium in necessitate constitutorum:

Hæc sunt observanda, *primò*, quòd *publici latrones, viarum aggressores, depopulatores agrorum*, *homicidæ*, *& mutilatores membrorum in ipsis Ecclesijs*, *eorúmque cæmiterijs*, *proditorij occisores proximorum*, *Assassini*, *hæretici* (si ob hæresim capi deberent) *criminis læsæ majestatis Rei*, *& abominabili bestialitatis, crimine notati*, non gaudent immunitate Ecclesiastica, ut expressè habetur in prædicta constitutione Gregorij XIV. *Secundò*, talibus etiam criminibus Reos, extrahi non debent permittere Regulares, sinè expresso Episcopi, vel ejus Vicarij mandato. *Tertiò*, si taliter culpabiles extrahantur vi, ex locis supra nominatis Regularium; Regulares debent omnibus modis urgere, ut remittantur denuò (prout sæculares judices tenentur sub excommunicationis pœna eos remittere) *Quartò*, quamvis Regulares debeant resistere, Reum extrahere volentibus ex Ecclesia; non tamen verberibus, sed verbis; non materiali, sed spirituali gladio excommunicationis, ut vult Trident: Sess. 25. cap. 3. de Reform. vide compend: nostrum verbo

Exclusi ab immunitate Ecclesiastica.

verbo jam citato, & Portel verbo, *Ecclesia immunitas.*

Indulgentia. *De Indulgentijs* egi ex proposito Col. 4. per totum, & passim in hoc de privilegijs tractatu: unde hæc hic de illis observare volui: *Primò*, Paulum V. anno 1606. in Bulla, *Romanus Pontifex.* apud Cherubin: Religiosis concessas omnes revocâsse indulgentias, præter has in dicta Bulla expressas, & ab eo de novo concessas. 1. omnibus Regularibus, primâ die ingressûs Religionis, servatis servandis, concessit indulgentiam plenariam. 2. in die professionis. 3. in festo principali sui Ordinis. 4. in articulo mortis; nomen JESU ore, vel corde proferendo. 5. die illâ, quâ primitias celebrant, aut audiunt. 6. faciendo exercitia spiritualia per decem dies. 7. visitando, in diebus stationum, proprias Ecclesias, & orando, consequuntur Urbis & orbis indulgentias, pro illa die concessas. 8. orando ante altare aliquod, quinquies *Pater, & Ave*, quinque annos, & quinque consequuntur quadragenas. 9. singulis mensibus, continuando per mediam horam de die, orationem mentalem, sexaginta consequuntur indulgentiarum annos, & totidem quadragenas. 10. agnoscendo humiliter in Capitulis suas culpas, tres annos, & totidem quadragenas. 11. die illâ, quâ missionarij itineri se accingunt, & altera die, quâ locum seu Provinciam, sibi ad prædicandum assignatam ingressi fuerint, plenariam consequuntur indulgentiam. 12. plenariam consequitur, dum durante superioris

rioris Prælati visitatione, Venerabile exponitur, per quadraginta horas, qui per duas horas oraverit ante Venerabile, lege prædictam Bullam. &

Secundò observa, Indulgentias Regularibus concessas, in ordine ad succurrendum animabus Purgatorij, non esse revocatas per dictam Pauli Bullam. Ita Casarub: & Peirin: tom. 1. fol. 32. n. 2. nam ipse sic interrogatus declaravit. *Pro defunctis valent*

Tertiò, per prædictam Bullam non revocari (salvo meliori judicio) indulgentias concessas Ecclesijs Regularium, aut sæcularibus illas visitantibus, *nam cùm odia sint restringenda*, & quòd in dicta Bulla nulla sit sæcularium, aut Ecclesiarum mendicantium mentio, sic censendum est, quòd gratiæ, & indulgentiæ illis concessæ, intactæ maneant. *Item pro sæcularibus.*

Adde Paulum ipsum V. post dictam revocationem anno 1509. confirmâsse omnia nostra privilegia, cum ijsdem *clausulis, decretis, declarationibus, & formis*, quibus Clemens VIII. in sua Bulla, nostra confirmavit privilegia, ac si de verbo ad verbum, nullo prorsus omisso, ibi insererentur. Seu Clemens VIII. *ex certa scientia*, anno 1597. in Bulla, *Ratio pastoralis*. omnes indulgentias, gratias, & privilegia, quomodolibet unquam nobis concessa, in quantum Trid: & Reformationi nostræ non repugnant, amplissimè confirmavit: ergo & Paulus censetur idem fecisse (*decretum enim innovans intelligitur secundùm tenorem decreti* (ut tradunt Juristæ) *innovari*, L. in testament. ff. de condit. & demonstrat. *Confirmatio privilegiorum Franciscanis facta.*

authen.

authent, constitutio innovans, §. *unde*, versu *in illa*, col. 3.) & consequenter omnes à se revocatas indulgentias, de novo nobis concessisse, & confirmâsse, prout illum fecisse, bene probat Roder. junior, Resol. 77. & alij.

Communicatio gratiarũ.

Quartò, gratiæ omnes, & indulgentiæ concessæ Ecclesijs *Fratrum Minorum*, extenduntur ad Oratoria, & Sacella quæcunque, etiam mobilia, & occulta illorum, in quibus, dum inter hæreticos vel infideles sunt, divina peragunt. Ita declaravit Vrbanus VIII. die 13. Julij, anno 1630. in Bulla, *Cùm sicut*. cujus originale Romæ invenitur in Archivio Aracœlitano, Procuratoris nostri Generalis.

Indulgentia concessa visitantibus Ecclesias.

Quintò, quòd sæculares omnes utriusque sexûs, verè pœnitentes, & sacrâ communione refecti, lucrantur indulgentiam plenariam visitando aliquâ horâ, à primis vesperis usq; ad occasum Solis sequentis diei, Ecclesiam aliquam Fratrum Minorum, quoties Sanctorum nostrorum festa celebrantur. *Item*, lucrantur indulgentias 548. annorum, qui easdem Ecclesias in festivitatibus Christi, & B. V. MARIÆ visitant. *Item*, visitantes dictas Ecclesias singulis diebus, lucrantur indulgentiam 49. annorum, & 300. dierum. *Item*, qui vestem alicujus Franciscani osculatur, lucratur toties, quoties, indulgentias quinque annorum. *Item*, qui Rosarium, seu Coronam B. Virginis orat, more Franciscanorum (id est septuaginta duo Ave MARIA, in honorem septuaginta duorum annorum, quibus, *teste Bonaventurâ*, creditur B. V. in hoc vixisse mundo, cum octo Pater noster) plenari-

nariam consequitur indulgentiam, modò pro ipso Papa, unum saltem *Ave Maria*, oret. Vide de his indulgentijs, & pluribus alijs, nobis, nostrísque Syndicis, Fundatoribus, Benefactoribus, Parentibus; ac illis, qui adsunt concionibus nostrorum Prædicatorum; compendium nostrum, verbo, *Indulgentia plenaria*, nec non Rodericos, seniorem citatum à juniore, Resol. 77. per totum. ac tandem compendium Societ.

Indulgentiæ non cõmunicantur.

De interdicto, & irregularitate, vide quæ dixi col. V. de Censuris, & col. 6. de Privilegijs in genere. De Juramento egi fusè col. 3. & de Iubilæo, col. 4. de Indulgentijs.

Interdictum.

Irregularitas.

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ VIII.

An majoribus Privilegijs, & Indulgentijs gaudent Fundatores, quàm Tutores mendicantium?



COLVMNA IX.

De Privilegijs incipientium ab L. M. N. O.

ASSERTIO I. Laici mendicantium, seu Conversi, sunt propriè loquendo Religiosi; possúntque tangere calices, corporalia & alia, cùm expedit, paramenta Ecclesiastica, eáque lavare. *Prima pars patet*, cum

Laici seu Conversi.

tum ex cap: *Non dubium.* & cap: *Parochianos.* de sentent. excom in 6. Tum etiam quia solemnem faciunt professionem, emittendo tria vota essentialia Religionis: ergo.

Probatur etiam 2. pars, ex concessionibus Calixti III. & Sixti IV. nostris Laicis factis, ut videre est in compendio nostro, verbo, *Laici.*

Lectores Iubilati.

ASSERTIO II. Lectores in Ordine nostro per duodecim continuos annos Theologiam profiteri debent, antequam gradum Lectoris Iubilati acquirant; quo habito, vocem habent activam, & passivam in omnibus Capitulis & Congregationibus suarum Provinciarum. *Probatur*, tum ex concessionibus Pij V. & Vrbani VIII. in quibus requiritur tempus illud duodecim annorum. Tum etiam ex statutorum Generalium, tam *Vallisoletanorum*, quàm *Barcenonensium* declarationibus. Vide Rodericum tomo 2. q. 131. art. 1. & 2.

Legata.

ASSERTIO III. Legata relicta mendicantibus, sivè mobilia sint, sive non (si nos Franciscanos de Observantia excipias) recipere possunt. Hæc est communis, & patet, quia sunt capaces bonorum in communi; ergo & legatorum.

Religiosus particularis, legati capax est.

ASSERTIO IV. Quamvis liceat Religioso particulari, cum expressa, vel tacita Superioris licentia, recipere legata (non loquor de Minorita) quoad solum tamen usum, adhuc ipso invito, Prælatus ad libitum, de tali legato, in bonum Conventûs dispone potest. Est communis cum utroque

Rode-

Roderico, Portel, & Navarra, in cap: *Nullam*. num. 32. & 33.

Probatur 1. *pars*, tum quia in hoc nulla est inconvenientia, tum etiam, quia Trid: Sess: 25 cap: 2. de Regul. (ex quo aliqui contrarium colligunt) tantùm vult, ut Regularis, nihil proprij habeat aut servet, nisi de Prælatorum consensu, & hoc quoad usum solum. Vide declarat. & remission. dicti cap. Conc:

Probatur 2. *pars*, tum quia Trid: Sess: 25. cap: 1. de Regul. tale jus Prælato dat: tum etiam quia *relicto monacho, statim monasterio acquiritur*, ut tradunt Canonistæ communiter. ergo.

Legata perpetua Franciscani recipere possunt.

ASSERTIO V. Quamvis testamentum, in quo soli fratres nostri de Observantia (per hos intelligo etiam Capucinos nostros) instituerentur hæredes, ipso jure esset nullum; adhuc legata, etiam perpetua, cum onere, etiam sacrorum, aut alterius devotionis, recipere tutè possumus. Hæc est authorum jam citatorum, &

Probatur 1. *pars*, ex Clement: *Exivi de paradyso*. §. *quia ergo: de verborum significatione*, ubi Clemens V. explicans *Regulam* nostram, expressè tenet nostram conclusionem. ergo.

Dixi soli, quia si testator partem tantùm bonorum nobis legat, cum addito: ut pars illa vendatur ad sustentationem fratrum, tunc testamentum valebit, & licitè legatum accipere possumus, ut post Barthol. in addit: ad summam, tom. 4. cap. 146. num. 4. te-

net Rodericus, & Portel, verbo, *Testamentum.* Jam

Ut probetur 2. pars, quæ est Abb. con. 63. volum. 2. Federici cons. 12. Bald. in lege, *Si quis ad declinandum. §. in omnibus.* n. 7. Sanch. lib. 7. cap. 26. n. 45. qui multos alios citat, sicut facit etiam Roder: noster tom: 3. q. 67. art. 8. & 9.

Quomodo Franciscani legatorum capaces sunt.

Adverte: Franciscanis observantibus, nullatenus licere recipere legata ulla, nisi per modum puræ eleemosynæ; unde si illis in testamento relinquatur summa aliqua certa, perpetuò annis singulis, ab hæredibus solvẽda, antequam acceptent illã, debent expressè protestari, se non acceptare legatum illud, vi alicujus debiti inferentis obligationem civilem, sed solummodò per modum puræ eleemosynæ. Hoc notato

Probatio à paritate

Probatur concl: potest & solet licitè Franciscanus (sive Reformatus sit, sive Capucinus) in necessitate recurrere, diebus singulis, vel annis, ad *Ferdinandum* v. g. *Comitem Slavata* pro eleemosyna (sive pecuniaria sit, sive non) quam Conventui liberaliter diebus singulis promisit se daturum; ergo etiam licitè ad ipsius hæredes, singulis annis, vel diebus, potest similiter recurrere, per modum eleemosynæ, pro legato, ab ipso Conventui relicto. antecedens est certum. *Probatur* ergo consequentia, tum quia non est potior ratio, cur licitè possit *Franciscanus* accipere, & petere à *Ferdinando* quotidie, id, quod liberaliter promisit, & offert; quàm quòd possit recipere, & petere ab ipsius hærede, testatoris

toris nomine, quod liberaliter nobis legatum est (*legatum enim est quadam donatio, à defuncto gratiosè relicta, & ab hærede præstanda. §. legatum. instit. de legat. L. Regia.* 1. tit. 9. part: 6.) tum etiam, quia quod in illo casu ab hærede datur, censetur ab ipso testatore datum; sed quotidie, secundùm omnes, ab ipso testatore, egeno *Franciscano* licet petere, & accipere, in necessitate, quod liberaliter promittere voluit; ergo & ab ipsius hærede. *Legatum describitur*

Probatur maj: qui agit de mandato alterius ad modum mandantis, seu præcipientis, agere censetur, sicut & ille dicitur facere, cujus authoritate, & nomine res fit. L. *Ita tamen. §. gessisse. de administrat: Tutor.* sed hæres testatoris nomine legatum liberaliter solvit: ergo Franciscano licet ab eo humiliter legatum tale petere.

Confirmatur hoc, & simul *probatur concl:* 2. licuit hujus Pragensis ad Nives Conventûs Guardiano, *F. Andreæ Iwanck*, vel *Hibernorum* Collegij Guardiano, *F. Antonio de Burgo*, & Capucinorum in utroque Conventu Guardianis, accipere, quod ipsis anno 1663. semel pro semper legavit, Illustrissimus Dominus, D. Baro, *Ioannes senior à Thalembergk*, (Religiosorum omnium, & maximè Franciscanorum Dominus ille Parens, & benefactor fuit liberalissimus) & hoc etiam anno illis, in necessitate constitutis, liceret ab alio simile legatum acceptare, & sic de alijs annis in æternùm discurre: ergo & eis in necessitate constitutis, similiter licebit petere, per mo- *D. Iankoviensis laudatur.*

dum puræ eleemosynæ, & acceptare, quod illis annuatim solvendum, *Ferdinandus* legavit (*ubi enim militat eadem ratio, eadem Iuris dispositio procedere debet.* L. *illud.* ff. ad L. Aquil.) quam certè dura satis videretur restrictio, si *Ferdinando*, qui in vita semper certam summam dedit fratribus indigentibus, non liceret ordinare, ut post mortem quota illa dictis fratribus detur.

Hanc doctrinam confirmant sacræ Congregationis diversæ decisiones, in hac materia emanatæ; nam sacra Congregatio fabricæ 28. Maij, anno 1639. Episcopo *Urbania*, volenti erigere Canonicatum ex quodam legato, relicto Conventui nostro *S. Angeli in Vado*, sub prætextu, quòd nostri illius legati essent incapaces, scripsit, & mandavit, ut fratribus totum, quod illis legatum erat, restitueret, addendo, quòd non obstante perpetuo Missarum onere, adhuc legati capaces erant. Eadem etiam sacra Congregatio in simili casu scripsit 25. Augusti, anno 1640. Episcopo Cast: eique mandavit, ut amoto omni impedimento, legatum fratribus dari permittat. Lege Franciscum de Toriano, in suo *Compend. ad Superiores Regulares*, tit: *de legatis.* & jam assignatas, cum multis alijs sacræ Congregationis decisionibus, citatas, videbis. Interim,

Obijcies 1. Clemens V. in cap: *Exivi de Paradyso.* declarat, annuos reditus reputari, inter bona stabilia, quorum Franciscani sunt incapaces, secundùm ipsum; sed legatum tale (idem dic de Fundatione, seu debitâ sustenta-

tentatione, quam Fundatores nostrorum, in Bohemia, multorum Conventuum, eorúmque hæredes, annuatim offerunt) æquivalet annuis reditibus: ergo talis legati sumus incapaces. ℞. conc: maj: & nego min: nam annui reditus nobis prohibiti, sunt illi, qui ex fructibus agrorum, & censibus pecuniarijs certò solvuntur, per modum debiti civilis; non verò quæ solvúntur per modum debiti naturalis, seu annui stipendij, pro Sacris, & alijs pijs operibus, quæque petuntur à nobis, non per actionem civilem, sed per modum puræ eleemosynæ, cum protestatione expressa, de eo non recipiendo, ex alicujus debiti civilis obligatione. *Annui redditus Francisca-nis prohibiti.*

Obijcies 2. Fratres, quibus, sive vi Fundationis, sive vi legati, annuatim sic provideretur, essent certi de sua sustentatione, sicut sunt alij Regulares capaces Dominij; sed hoc est expressè contra obligationem, purè observantium Regulam *S. Francisci*: ergo. ℞. distinguendo majorem, essent certi moraliter, sicut quivis mendicus Pragensis certus est, si manè comparuerit ante fores Eminentissimi Domini, D. Cardinalis ab Harrach, quòd habebit cruciferum, vel grossum, (pijssimus ille Princeps, tot semper manè grossos, vel cruciferos distribui facit, quot pauperes ante illius Residentiam conveniunt) concedo majorem; certi civiliter, aut physicè, sicut sunt illi, qui bona possident, nego maj: & distinctâ similiter minori, nego consequ:

Dices, Ferdinandus ita disposuit res suas, ut etiam hæres civilem habeat obligationem

solvendi legatum, vel fundationem: ergo solutio nostra de certitudine morali, est tantùm evasio. *Probatur* antecedens, *Ferdinandus* in sua dispositione, à *Cæsare* v. g. confirmata, hanc posuit clausulam: *Si hæredes mei non dederint annuatim Franciscanis tantum, & tantum, pro fratrum sustentatione, hæc ipso Capitulo v. g. Pragensi, fas sit immissionem in meum Neodomense Dominium petere, seque tanquam legitimus hæres, in illud introducere:* ergo non solùm moralem, sed etiam civilem certitudinem habent fratres, de receptione talis legati. ℟. negando utramque consequentiam; nam quamvis *Ferdinandus* ut verus Dominus, potuit sic de rebus suis disponere, per hoc tamen *Franciscanis* non dat in illas res, majus jus, quàm acceptant, & sunt capaces; sed *Franciscani* protestando, ut jam dixi, nullum volunt accipere civile jus in res sibi relictas, nec talis sunt capaces juris: ergo illorum paupertati & professioni non officit, dispositio illa à Ferdinando facta, magis, quàm si illam non fecisset. Lege Rodericū juniorem, & Portel, de his, & similibus casibus, in quibus intuitus sacrorum, necessitatum Ecclesiæ, ac infirmorum, licet fratribus nostris per modum eleemosynæ, legatum annuum acceptare.

Leges. *De legibus & statutis* vide quæ dixi in *Oecodomia*, in tractatu de legibus.

Libri prohibiti. ASSERTIO VI. Possunt mendicantes, de consensu suorum Generalium, vel Provincialium, ubi Inquisitio non regnat, libros hæreticos, & alios prohibitos, animo illos

illos expugnandi, & refutandi legere. *Libros* ex mendicantium Bibliothecis furtivè accipientes, incidunt in excommunicationem. *Prima pars patet* ex concessione Pij V. &,& Gregorij XIII. anno 1575. in Bulla, *Exponi nobis*, Societati JESV facta, ut refertur in illorum compend: verbo, *Libri prohibiti*. §. 1. & à Roderico juniore. Resol. XCII. *Libri Bibliothecarum.*

Dixi, ubi Inquisitio, &c. quia teste Roderico, loco jam citato, privilegium illud in Hispania revocatum est, per aliam facultatem Inquisitioni ibidem concessam.

Probatur 2. ex prohibitione à Pio V. in gratiam fratrum Minorum facta, anno 1568. in Bulla, *Cùm sicut accepimus*, apud Rodericum, in qua prohibetur, etiam ipsis nostris Prælatis, sub excommunicatione, nè ullo modo libros, terniones, aut scripta ulla, in Bibliothecis nostris existentia, nè quidem pro minimo temporis spatio, inde accipere præsumant. At Vrbanus VIII. videns decretum illud, non favorabile, sed maximè præjudiciosum esse fratribus nostris, qui semper libris indigent, proprios habere non debent, & simul in uno cubiculo, seu Bibliotheca, studere commodè non possunt. an. 1639. ad instantiam Patrum discalceatorum nostrorum in Hispania, in Bulla, *Cùm ea.* concessit ut licitè, de Prælatorum tamen licentia, possimus extrahere ex Bibliothecis libros, iisque intra septa nostrorum Conventuum uti. *De Matrimonio* vide, quæ dixi in Oeconomia, col. 44. & 45. *Matrimonium.*

ASSERTIO VII. Mendicantes omnes

Medici. mnes (nisi per propria statuta aliter cautum sit) medicinæ periti, possunt mederi, quibuscunque personis infirmis, cujuscunque sint sexûs, absque ullo conscientiæ scrupulo, aut aliquarum censurarum, vel pœnarum Ecclesiasticarum, incursu (intellige quando medici sæculares commodè haberi non possunt) dummodò id faciant, de Superiorum suorum licentia, & citra adustionem, & incisionem, per se ipsos, faciendam.* Ita concessit Societ. JESV Gregorius XIII. anno 1576. in Bulla, *Unigeniti.*

Minister Provincialis. *De Ministro provinciali*, in Ordine nostro, vide quæ dixi agendo de *Absolutione*, *Generali*, & *Guardianu*; hæc tantùm de eo hic notare volui, ex nostro compend: verbo, *Ministri*. *Primò*, ex concessione Sixti IV. illum posse dispensare cum subditis, defectum natalium patientibus. *Secundò*, posse communicare benefactoribus suffragia suæ Provinciæ, ex concessione Vrbani V. *Tertiò*; eandem habere in Moniales S. Claræ, sibi subjectas, potestatem, quam habet in illas *Protector* Ordinis, ex concessione Julij II. *Quartò*, finito suo triennio, non posse reeligi, in Ministrum, nisi sexennio vacationis transacto. Ita statuit Paulus IV. 23. Aprilis, anno 1559. in Bulla, *Viam ambitiosa*, & Gregorius XV. in Bulla, *Militantis Ecclesiæ*, & statuta nostra Vallisoletana, decernunt. *Quintò*, in illo Capitulo, quo triennium explevit, nec in Guardianum, aut Diffinitorem promoveri posse, ut declarant statuta Capituli generalis Rom: 1639. confirmata ab Vrba-

Vrbano VIII vide quæ de *Electione* dixi. *De Minoritu* vide, quæ passim dixi per totum hunc tractatum. Interea sit

ASSERTIO VIII. Minores fratres de Observantia, sive *Reformati* vocentur, sive *Recollecti*, sive *Discalceati*, observant Regulam S. Francisci, quoad omnia illius præcepta, consilia, & vim præcepti habentia, sinè *glossa*, aut privilegio ullo relaxativo. Hæc est certa, *& patet*, tam ex dictis col. 1. *de statu Religionis*, ubi ostendi, quòd nullum admittant relaxativum Regulæ privilegium, tum etiam, ex generali nostro Capitulo Romano, in quo (sicut & in multis alijs præcedentibus Capitulis) Religio renunciavit omnibus, quibuscunque privilegijs relaxativis, quibus puritas Regularis Observantiæ, ullo modo macularetur: quam renunciationem confirmavit Vrbanus VIII. per suum Breve, ut videre est in tabula nostri Capituli. *Minores fratres.*

Dices, Franciscani in his Germaniæ partibus currizant, contra hæc cap: 3. Regul: verba: *Et non debeant equitare, nisi manifestâ necessitate, vel infirmitate cogantur*: ergo.

Contra 1. Pater noster Franciscus, ter auditâ hac voce, de cœlo, *ad literam, ad literam, ad literam*, hoc nobis in suo reliquit *Testamento* præceptum: *Omnibus fratribus meis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regulam, dicendo: ita voluit intelligi, sed*, inquit, *sicut Dominus mihi dedit simpliciter, & purè dicere, & scribere Regulam, & ista verba, ita simpliciter, & purè, sinè glossa, intelligatis, &c.* sed certum *Currizare nobis ex Regula prohibitum non est.*

est,

est, quòd glossam in his verbis, *non debent equitare*, ponit, qui dicit, per illa verba, prohiberi nobis currizationem: ergo glossatores (non loquor de Pontificibus, quorum est explicare Regulam, sed de aliquibus, qui *carbone* nos notare volunt, dum Dominis & Dominabus dicunt, nos contra Regulam agere currizando, ac si illi ab illa culpa, si quæ est, liberi essent) illi magis faciunt contra Regulam, quàm nos, qui nunquam equitamus.

Contra 2. non est potior ratio, cur contra illa verba Regulæ nostræ agit, qui currizat, quàm qui in navi pergit, quæ contra aquam, trahitur equis, prout in Gallia, Italia, & Belgio solet fieri; sed nullus dicet, in tali nave pergere, esse contra puritatem Regulæ: ergo nec currizare erit.

Adde 1. S. Patrem, temperâsse suæ Regulæ præcepta, *secundùm loca, & tempora, & tempora, & frigidas Regiones*: sed hic nos sumus in locis, in quibus hæretici sunt multi, vel saltem multi minùs zelosi Catholici (loquor de solis plebeis in Bohemia, quia Domini Catholicissimi sunt) Conventus, & benefactores, ab invicem remoti, & non semper in via; ac denique ubi frigora intensissima, nives, & glacies, per aliquot continuos menses durant: ergo Regulæ suæ transgressor censeri non debet *Franciscanus* in his partibus, qui permitit se vehi in misero, & aperto curriculo, seu calessa, accedente Superioris consensu, ut sic, ad Dei gloriam promovendam, incolumem se diutiùs conservare possit.

Adde, 2. nostros Benefactores frequenter, etiam

etiam in rigida hyeme, indigere nostris obsequijs spiritualibus, in suis bonis, à Conventibus subinde satis dissitis: ergo si pro nobis mittant curriculum, licitè ad illos, sinè quorum subsidio vivere non possumus, currizamus; vel si nos secum accipere volunt in proprijs curribus (quis amabò non rideret, si videret Franciscanum, cursoris more, post currum festinantem) rationabiliter cum illis pergimus.

Adde 3. nostros juvenes, nisi rationabilis urgeat necessitas, pedes peregrinari solere, etiam in hyeme frequenter: ergo in puncto hoc, supra nos, alij non habent, quod glorientur. Hæc pro sapientibus, quibus pauca placent.

ASSERTIO IX. Minorum Ecclesijs omnibus anno 1622, die 4. Julij, Gregorius XV. in Bulla: *Splendor Paternæ gloriæ.* communicavit Portiunculæ indulgentias, quas in illis fideles perpetuis futuris temporibus, lucrari, à primis vesperis, secundæ diei Augusti, usque ad occasum Solis ejusdem, possunt. *Minorum Ecclesiæ.*

De Missa satis dixi col. 7. agendo de altari, & col. 8. agendo de Eucharistia. Unde ut circa illam alia breviter expediam. Sit

ASSERTIO X. Præcepto Ecclesiæ, de audiendo diebus festivis, & Dominicis Sacro, satisfaciunt, qui in Regularium templis Missas audiunt. *Probatur*, tum ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Significatum.* 12. Decemb: anno 1592. directa ad Episcopum Tricariensem, in inferiore Germania *Missa.*

Lega-

Legatum tunc agentem Apostolicum, in qua conclusio expressè docetur. Tum ex alia similis tenoris Bulla; Pauli III. *Licet debitum* apud Cherub: anno 1549. in gratiam Patrum Societatis concessa, in qua idem conceditur, ut refertur in compend. dictæ Societatis, verbo, *Missa*.

Missam tardiùs vel citiùs celebrare Regularibus licitū est.

ASSERTIO XI. Missas una, vel altera hora ante auroram, imò post mediam noctem, si necessè esset, & unâ horâ post meridiem, mendicantibus licet. *Prima pars*, de una hora, patet expressè, tum ex simili concessione Martini V. anno 1424. facta Ordini Divi Hieronymi in Hispania, vivæ vocis oraculo, ut habetur in illorum Bullario. Tum ex Sixto IV. qui nobis anno 1475. vivæ vocis oraculo, ut videre est apud Rodericum, & Spec: Min: fol. 41. concessit, *ut celebrare possimus causâ necessitatis, ante & post horam constitutam ab Ecclesia*. Idem privilegium anno 1486. in Bulla, *Vacantibus*. apud Confertium, concessit Innocentius VIII. Eremitis S. Augustini, & Gregor: XIII. an. 1578. in Bulla, *Quanta*. Patribus Societ: ut refert Roder. & compend: Societ. ejusdem. Idem Gregorius XIII. anno 1582. vivæ vocis oraculo, ut Constit: 219. videre est in Bullario *Cassinensi*, concessit Cassinensibus, ut in causa necessitatis, statim post mediam noctem possint celebrare. Idem privilegium nobis concessit Leo X. ut refertur in nostro compend. verbo: *Missa*. *Probatur jam ultima pars*, ex illis concessionibus, jam citatis, factis à Gregorio XIII. Societ: & nobis à Leone X. ergo.

De

De Monachis, vide quæ dixi Col: 1. & 6. De Monasterijs, agendo de Conventibus, & ædificijs satis egi. De Monialibus nihil singulare occurrit, præter ea, quæ dixi agendo de clausura, nisi ut *Monachi.* *Monasteria.*

Advertas 1. quòd Moniales, primæ Regulæ S. Claræ, possunt calceatæ incedere, ex concessione Evgenij IV. apud Roderic: *Secundò*, quòd gaudeant privilegijs Regularium, in quantum sexui illarum non repugnant. *Tertiò*, Chorales Clarissas, quæ, propter imperitiam, divinum officium nequeunt commodè orare, ex concessione Clementis VII. satisfacere orando, de licentia Prælati, Confessarij, vel Abbatissæ, officium Laicorum. *Quartò*, Moniales ex mandato Leonis X. in Bulla: *Postquam ad summi.* sub excommunicatione teneri, ad ea observanda, quæ circa illas in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus constituuntur. *Moniales.*

ASSERTIO XII. Generalibus, & Provincialibus mendicantium, licet creare, & deputare, in quavis sibi subjecta Provincia, tres, quatuor, vel etiam quinque Religiosos, sufficientis doctrinæ, in *Notarios*, qui quoties requisiti fuerint, intimare possunt, omnes gratias, & privilegia, mendicantibus concessa, & emanata rescripta Apostolica, cujusvis statûs personis; eásque monere, & requirere, juxta prædictorum tenorem, aliáqua omnia opportuna exequi, & de his publica, coram testibus requisitis, instrumenta conficere, quibus eadem adhibeatur fides, in judicio, & extra, ac si per alios authenticos *Notarios creare Regularibus licet.*

Nota-

Notarios essent authenticata, ac eosdem sic intimatos, monitos, & requisitos eis arctari debere. Ita concessit Paulus II. Canonicis Later: anno 1464 in Bulla: *Sacra*. in eorum privilegijs p. 140. & Pius IV. anno 1565. militibus S. Lazari, in Bulla: *Inter assiduas*. apud Cherub. nec non amplissimè Dominicanis, Pius V. anno 1571. in Bulla: *Debitum*. apud Roder. & Peirin. Et refertur in compend. Societatis, verbo: *Notarius*.

Novitij. *De Novitijs*, videat quævis Religio, constitutiones proprias, circa illorum receptionem, & educationem, in qua Superiores, & Magistri, nec crudeles, nec nimis benigni esse debent: nam subidde contingere posset, ut bonis verbis juvenes ad profitendam Religionem, cujus rigorem in Novitiatu experti non sunt, alliciantur, qui serò nimis, de emissa professione, dolerent; sic consultiùs est, in Novitiatu (prout in nostra Religione fieri solet) illos bene mortificare, & probare, num veram habeant vocationem, ante professionem, de qua hoc est observandum, quòd non obstante Trident: Sess; 25. c. 16. de Regul. finito probationis anno, Superioris arbitrio relinquitur assignatio, determinati professionis temporis. Ita declaravit sacra Congregatio, 19. Julij, anno 1670. vide Barb: in declarat: jam dicti cap: 16.

Admonitio authoris.

Obedientia Minorum. ASSERTIO XIII. Obedire debent fratres nostri suis Prælatis, sub mortali, in omnibus quæ non sunt contra animam, & Regulam nostram, si ea excludas, quæ in Regula, libertati fratrum relinquuntur. *Pri-*

ma

ma pars patet, ex verbis ipsius Regulæ, secunda etiam patet, quia libertas à superiore concessa, ab inferiore tolli nequit; sed Regula nostra à S. Patre Francisco tradita, est supra Prælatos nostros: ergo quòd illa incedit, ab his auferri nequit. Unde obligare, licitè, subditos non possunt, ut jejunent per continuos quadraginta dies, post Epiphaniam, quia Regula loquens de illa quadragesima, hæc habet verba: *qui voluntariè eam jejunant, benedicti sint à Domino, & qui nolunt, non sint adstricti*. Unde non laudo quarundam Provinciarum de illo jejunio statutum, quo compellunt, etiam nolentes ad jejunandum, quia sic coacti, benedictionem non consequuntur, & Superiores contra S. Patris, si non mandatum *(non sint*, inquit, *adstricti,)* saltem dispositionem, faciunt. *Iejunium Benedictionis.*

De officijs, Ordinis, vide quæ dixi agendo de electione, & adde ijs, quæ de descendentibus ab hæreticis, nec non de hæreticis ad fidem conversis, dixi, Roder. juniorem Resol. 105. n. 4. cum multis alijs, quos citat, meæ esse opinionis, quod non scivi, dum prædicta scripseram. *Officia Ordinis hæreticis cōversis conferri non debent.*

De officio divino, & oratione jam satis egi Col. 1. tantùm hic notandum est, Regulares non posse instituere orationem quadraginta horarum, cum solemni Venerabilis expositione, sinè licentia saltem interpretativa Ordinarij. Ita declaravit sacra Congregatio Rit. 28. Octob. anno 1554. & 26. Februar: anno 1628. teste Gavant. in manuali, verbo, *Eucharistia*. *De Ordine* sacramentali, vide

quæ

quæ dixi in Oecodomia Col. 43. de Ordine. Interea sit

Prælati Regulares Præsentatorias dare possunt.

ASSERTIO XIV. Prælati Generales, & Provinciales Mendicantium, possunt suos Clericos, vel Magistros præsentare cuicunque Catholico Antistiti, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habenti, qui sic præsentatos, absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum, ad omnes sacros Ordines promovere potest, & hoc (non observatis interstitijs) extra tempora, à jure statuta, tribus diebus Dominicis, vel festis immediatè sibi succedentibus.

Regulares extra tempora, non servatu interstitiis possunt promoveri.

Probatur concl: ex varijs concessionibus factis, anno 1230. à Gregorio IX. in Bulla: *Is qui Ecclesiam.* apud Wading. in Reg: tomo 1. ab Alexandro IV. Anno 1254. in Bulla: *Convenit ut sacer.* apud eundem in Reg. tom. 2. & novissimè ab Vrbano VIII. pro nostris, in partibus Indiarum existentibus, anno 1625. in Bulla: *Cùm sicut.* apud Cherubin. in qua conclusio, quasi in terminis habetur. Idem privilegium Gregorius XI. annõ 1374. concessit Dominicanis, in Bulla, *Virtute conspicuos.* & Pius V. anno 1367. omnibus Religiosis, nec non Paulus III. anno 1549. in Bulla: *Licet debitum.* & Gregorius XIII. amplissimè, an. 1582. in Bulla: *Pium.* apud Cherub. Societ. Jesu ut refertur in illius compend: verbo, *Ordo.* §. 2. & 3. quo privilegio gaudent alij Mendicantes omnes, ut ostendi agendo de communicatione privilegiorum. Col. 6.

De origine Ordinum Regularinm, & primò

mò Mendicantium, hæc observa: 1. *Ordo Prædicatorum*, inceptus est à S. Dominico, & confirmatus anno 1216. *Ordo Minorum*, à S. Francisco, & confirmatus est primò ab Innocentio III. anno 1212. vivæ vocis oraculo, ac postea ab Honorio III. scripto, anno 1223. *Ordo Eremitarum* S. Augustini, restauratus est à S. Guilielmo Duce Gauscoviæ, anno 1157. *Ordo Carmelitarum* (uti refertur) fuit ab Elia inceptus, & an. 1110. ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, commodam accepit Regulam, & vivendi formam; tandem anno 1558. Reformati illius, Discalceati dicti, à Gregorio XIII. confirmationem obtinuerunt. *Ordo Servorum B. V.* inceptus & propagatus à Nobilibus viris Florentinis, in monte Severio, confirmatus est à Gregorio IX. anno 1233. *Ordo Minimorum* inceptus à S. Francisco de Paula, anno 1450. & à Sixto IV. confirmatus. *Ordo Iesuatorum* inceptus fuit à Joanne Columbino, anno 1355. & ab Vrbano V. approbatus. *Ordo, seu Societas IESU*, inchoata est à S. Ignatio, suscitatus à Deo (inquit Rodericus noster) in adjutorium S. Ecclesiæ contra Lutheranos, & a Paulo III. an. 1540. confirmatus fuit. *Ordo Canonicorum Præmonstratensium*, à S. Norberto institutus est, & ab Honorio II. confirmatus, anno 1102. *Ordo Canonicorum Regularium*, in quo S. Augustinus regulariter vixit, diu postea, anno nimirum 1342. à Papa Benedicto XII. confirmatus, & multis gratijs, & privilegijs donatus erat. *Ordo S. Benedicti*, ab ipso S.

Origo Ordinum Regularium.

Patriarcha inchoatus fuit, anno 330. & postea divisus in tot diversas Congregationes. *Congregatio montis Oliveti*, incepta fuit à Bernardo Ptolomæo, anno 1319. *Congregatio Vallis umbrosæ*, initium habuit à Joanne Gualberto, anno 1060. *Ordo Cisterciensium* initium habuit à Stephano Abbate, an. 1098 & incrementum sumpsit à mellifluo Doctore S. Bernardo. *Ordo Camaldulensium*, à Beato Romualdo institutus est, anno 1030. *Ordo Cælestinorum* institutus est à Cœlestino V. anno 1294. *Ordo Carthusianorum*, à S. Brunone, anno 184. tempore Victoris III. Papæ. *Ordo S. Hieronymi* è Pisa, initium habuit à Beato Petro de Pisa, anno 1380. *Congregatio S. Hieronymi* in Hispania, instituta à Lupo de Olmeas Hispano, confirmatâque est à Gregorio XI. anno 1375. *Ordo Crucigerorum* institutus est à Cyriaco Episcopo, anno 165. & ab Alexandro III. confirmatus est. *Ordo SS. Trinitatis* institutus est à Guilielmo Duce Aquitaniæ, & ab Innocent: III. anno 1197. approbatus. *Ordo S. MARIÆ de Mercede*, institutus est à D. Jacobo Laymi, Rege Aragoniæ, anno 1264. vel ut alij volunt, a P. Raymundo Pennaforti. *Ordo Theatinorum* (errant Hispani vocando Jesuitas Theatinos) inceptus est à Petro Carraffa, anno 1528. *Ordo ministrantium infirmis*, incipit à Petro Camillo, anno 1584. *Congregatio S. Georgij in Alga*, instituta est Venetijs à quodam Gabriele, anno 1444. & confirmatus à Bonifacio VIII. De Origine Ordinum militarium legatur Roder. tom. 1. q. 5. & Roder. junior Resol: 124.

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLUMNÆ IX.

An finè ordine detur Ordo?



COLVMNA X.

De Privilegijs incipientium in P. Q. R. S.

DE Parochis dicam inferiùs aliquid, agendo de sepulturis, tantùm hic notare oportet, quòd quamvis in partibus Indiarum Religiosi Mendicantes, nationalis idiomatis experti, possint esse veri Parochi; in locis sibi à Ministris Regis assignatis, ut concessit Pius V. ad instantiam Catholici Hispaniarum Regis PHILIPPI II. & experientia in illis partibus docet; hoc tamen privilegium non communicari cæteris Mendicantibus, in Europa commorantibus, ut docet Rodericus tom. 1. q. 55. & alij: Unde Religiosi sinè licentia Curati, paruchialia administrare non debent, nec etiam in suis Ecclesijs Parochianos ad divina admittere, nisi salvo jure Parochiali, quoad oblationes, decimas, & primitias solvendas.

Parochi.

Mendicantes in Europa Parochi esse non debent.

ASSERTIO I. Patres inter nos (hoc est qui fuerunt Ordinis Procuratores, Definitores, vel Secretarij generales, per triennium. Item qui fuerunt Ministri Provinciales, & Guardiani Hierosolymitani) nullum

Patres in Ordine Minorum Votum non habent de facto activum.

nullum habent votum activum in Capitulis, aut Congregationibus Provincialibus, nisi actu sint Guardiani, vel Definitores, Provinciales, vel Custodes. Ita expresse declarârunt, Clemens VIII. die 10. April: an. 1604. in Bulla: *Seraphicum Ordinem.* & Gregorius XV. die 25. April: anno 1622. in Bulla: *Militantis Ecclesiæ.* (hic tamen permisit Ministris Provincialibus, officio functis, ut in Definitorio solius Capituli, in quo suum finiunt Provincialatum, possint intuitu præteritorum laborum, de novo laborare, & sic adesse omnibus electionibus, cum voto activo) in quâ *in virtute S. obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna, officiique privationis, mandat Superioribus, ut omnia in dictis literis contenta, observari faciant*, Vrbanus VIII. hoc idem confirmavit, 23. Julij, anno 1639. in Bulla: *Onerosa Pastoralis officij.* & in alia, quæ incipit: *Militantis Ecclesiæ.* 1. Junij, anno 1640. in qua *declarat prædictis Patribus, qui officiji functi sunt, nullam competere præeminentiam in Conventibus*, permittit tamen Vrbanus, in constitutione *Onerosa.* ut in quavis Provincia, ex ultramontanis Patribus duo, votum semper habeant, in omnibus electionibus; dignior nimirum, & junior, qui scilicet Ministeriatûs officium explevit

Vrbani VIII. concessio.

ASSERTIO II. Præcedentiæ ordo in processionibus servandus est hic: *Primum* locum antiquo jure & novo Greg: XV. in Bulla: *Aliàs felicis.* tenent Clerici sæculares, & inter ipsos, Canonici Cathedralium primò incedunt. *Secundò*, Canonici Eccle-sia-

Præcedentia ordo in Processionibus.

ſiarum Collegiatarum. *Tertiò*, Parochi. *Quartò* reliqui Clerici. *Secundum* locum habent Regulares, & inter ipſos *primum* Canonici Regulares S. Auguſtini. *Secundum*, Monachi, juxta Ordinum ſuorum antiquitatem. *Tertium* locum, Mendicantes, & inter ipſos juxta declarationem Pij V. in Bulla: *Divinâ diſponente clementiâ.* primum locum occupant *Dominicani, ſecundum* locum *Franciſcani* (& inter hos primus locus convenit Patribus de *Obſervantia*, ſive Reformati ſint, ſive Recollecti, ut declaravit Leo X. anno 1517. in Bulla: *Omnipotens Deus.* & in alia, anno 1517. quæ incipit: *Etſi pro injuncta.* Quibus adde etiam, quod ſacra Congregatio 25. Janu: anno 1602. declaravit hoc idem; vide Tamb. de jure Abbatum. diſp. 25. q. 8. n. 4. Lucernam tom. 1. Regul. verbo, *Præcedentia.* Et Barboſam de jure Eccles: univers: lib. 1. cap: 43. n. 186.) *Tertium* Eremit: S. Auguſt: & ultimum *Carmelitæ*.

At cùm jurgia, & lites poſt hoc, inter Regulares eſſent occaſione publicarum functionum: Greg: XIII. in Bulla: *Expoſcit paſtoralis.* determinavit, & ſacra Congreg: 1. Junij, anno 1624. decrevit, præcedentiam in actibus publicis obſervandam eſſe, juxta antiquitatem fundationis monaſteriorum, ita ut præcedere debeat, qui priùs Conventus, vel Monaſteria, in locis, vel Civitatibus erecta habuerunt. Gregorianæ determinationi, ſicut & varijs ſacræ Congregationis decretis, in hac parte emanatis, robur adjecit Vrbanus VIII. anno 1637. in Bulla: *Nuper pro*

Gregorij XIII. deciſio.

parte. in qua statuit, ut quicunque sunt in possessione præcedentiæ, præcedant: & ubi probari non potest possessio, præcedant qui in loco controversiæ antiquiores sunt; *decernens irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.* In hac nostra Pragensi Triurbe, video quòd hoc servetur decretum, nam Conventuales, & etiam Augustiniani præcedunt nos in processionibus.

Præcedentia in disputationibus. *In disputationibus autem*, Dominicani prætendunt primum argumentum ante Clericos sæculares, & antiquos Monachos; sed non video quo jure, cùm ex dictis constet Mendicantes omnes, debere illis cedere, in actibus publicis.

De Prædicatoribus vide, quæ dixi Col: 7. de *Absolutione*, & postea de *Confessione*, & *Exemptione*, hæc interea de illis observa.

Prædicatorũ mendicantium obligatio. *Primò*, Regularibus sub gravi pœna, non licere, etiam in proprijs Ecclesijs, prædicare, nisi habitâ licentiâ suorum Superiorum, & præviâ Episcopali benedictione saltem petitâ. Ita Trid, Sess: 5. cap: 2.

Secundò, in alijs Ecclesijs, ut Regulares prædicent, præter suorum Superiorum, requiri Episcopi licentiam, semel pro semper, dandam.

Tertiò, Regularibus contradicente Episcopo, nec in proprijs licere prædicare Ecclesijs. Ita Trid: jam citatum, & Sess: 24. c. 4. intellige tamen cum Doctoribus communiter, quando ipse Episcopus vult prædicare, vel coram se vult alium prædicare,

Quar-

Quartò, malitiosè denegatâ benedictione ab Episcopo, Regulares posse in suis prædicare Ecclesijs, etiam ipso contradicente, & absente; non tamen *Franciscani*, ob hoc Regulæ præceptum, *fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum.* *Specialis Franciscanorum obligatio.*

Quintò, sub maledictionis æternæ interminatione (ut refertur in Clement. 1. §. 1. de privileg.) prohibitum esse, Regularium Prædicatoribus, nè in Concionibus ad populum detrahant Ecclesiarum Prælatis.

Sextò, Prædicatores nostros posse semper, Pontificis nomine, ex concess: Greg: IX. & aliorum octo Pontificum, ut videre licet in nostro compendio, suis auditoribus in nostris Ecclesijs, octodecim annos indulgentiarum, & trecentos viginti duos dies; tempore verò Quadragesimæ, feriâ 2. 4. & 6. centum quinquaginta sex annos, & dies 5024. conferre.

De Prælatis vide, quæ dixi in verbis: *absolvere, altare, Abbas, consecrare, Generalis, Guardianus, &c.* Et si de conditionibus requisitis in Prælato scire vis, lege Roder: tomo 2. q. 4. & 5. *Prælatus.*

De præscriptione vide quæ dixi in Oeconomia, in tractatu de jure, & justitia, ubi ostendi, quòd præscriptio quadraginta annorum, cum titulo, & bona fide, valet contra Ecclesiam: contra Curiam verò Romanam requiritur decursus centum annorum, quod ex privilegio Evgenij IV. & Pij V. extenditur ad Regul: Monasteria, ut docet Roder. tomo 2. *Præscriptio.*

mo 1. q. 36. art. 3. & tom. 3. q. 35. art. 2. & maximè ad nostra, cùm omnia quæ nobis dantur, Pontificis Romani sint bona.

ASSERTIO III. Regulares invitati ad publicas processiones, comparere debent, & in suis de præcedentia controversijs, Episcopi, pro tunc, judicio stare. Ita Trid: Sess: 25. cap: 13. de Regular:

Exempti à processionibus. *Ab hac tamen* obligatione, accedendi ad processiones, exempti sunt: *primò*, Benedictini, & Cistercienses Monachi, tum ex Bulla Evgenij IV. anno 1434. quæ incipit: *Sacra Religionis.* tum quia in striciori vivunt clausura, seu vivere deberent. *Secundò*, Jesuitæ, per Bullam Gregorij XIII. *Quacunque sacrarum*, anno 1576. *Tertiò*, Clerici S. Pauli, ex concessione Sixti V. anno 1583. quæ incipit: *Rationi congruit.* *Quartò*, Canonici Regulares Lateran. ut declaravit sacra Congregatio 30. Julij, anno 1616. apud Toren. *Quintò*, Religiosi Conventuum, qui Collegia nuncupantur, ex concessione Pij V. quæ incipit: *Etsi mendicantium.* Et *sextò*, Clerici Scholarum piarum, ex concessione Vrbani VIII. anno 1629. quæ incipit: *Etsi debitum.*

Quod nos Minores, Strictioris observantiæ attinet, Vrbanus VIII. die 1. Octob: anno 1641. in Bulla: *Militantis*, inhibuit, nè ad ullas processiones compellamur, nisi ad processionem in die festo Corporis Christi, & aliquam aliam generalissimam, id est (ut declaravit sacra Congregatio 21. Maij, anno 1646.) in die S. Marci, in publicatione Jubilæi, ad processionem in publica necessitate,

plu-

pluviæ v. g. serenitatis, pestis, belli, &c. institutam. Item ad recipiendum novum Episcopum, vel magnum Principem, &c.

Processiones possunt fratres nostri facere, quoties volunt, circa septa Conventuum nostrorum. ut declaravit sacra Congregatio, 17. Julij, anno 1640. & hoc quidem, non obstante concessione Pij V. Dominicanis facta, etiam in Dominica infra Octavàm Corporis Christi; quia Gregorius XIII. in Bulla: *Cùm inter cunctas*. apud Cherub. anno 1571. *motu proprio*, concessit omnibus Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm Regularibus (non obstante Bullâ illâ Pij V.) facultatem instituendi processionem, tam die Dominicâ infra Octavam Corporis Christi, quàm quibuscunque alijs Octavæ diebus. *Processio in Dominica infra Octavam Corporis Christi.*

ASSERTIO IV. Regulari concedit Trid: Sess. 25. cap. 19. de Reg: quinquennium ad reclamandum, contra validitatem professionis, quo peracto nisi reclamaverit, audiendus non est à Prælato, & Ordinario (coram his unitis, & in habitu, fieri debet reclamatio) nisi justas sui silentij causas attulerit. Hæc est communis, & difficultatem non habet, nisi ut assignentur causæ reclamationis, quas apud Portel verbo: *Professio*. videre licet. *Quinquennium ad reclamandum concessum.*

ASSERTIO V. Quamvis ex cap: 12. Regulæ *Minorum, Cardinalis Protector sit etiam Corrector, & Gubernator, totius Confraternitatis*; ex declaratione tamen Gregorij IX. (hic primus fuit Cardinalis Protector Seraphici Ordinis) in his tantùm tribus *Protector Ordinis.*

casibus, Religio illi subjicitur. *Primò*, in casu, quo ab unitate fidei deficeret. *Secundò*, in casu quo ab obedientia debita S. R. Ecclesiæ rebellaret. *Tertiò*, in casu, quo ab observantia Regulæ recederet

Provincialis. *De Provinciali* vide quæ dixi de electione, & in verbo: *Generalis.* De Procuratore vide, quæ inferiùs dicam, in verbo: *Syndicus.*

Reliquiæ. ASSERTIO VI. Reliquias furari grave est peccatum: vendere verò simonia est. Non canonizatorum, aut beatificatorum, privatim venerari, illicitum non est: extra Urbem ad alia loca mittere pro consecratione Altarium, Regularibus prohibitum non est.

Prima pars patet, quia Reliquiæ in quacunque notabili quantitate, ob reverentiam illis debitam, censeri debent materia sufficiens; ergo. *Secunda pars probatur*, quia Reliquiæ sunt res spirituales, ergo vendi non possunt sinè Simonia. *Tertia pars patet*, quia nullibi prohibetur talis cultus: ergo. *Quarta etiam pars patet*, ex concessione Leonis X, nobis facta, ut refertur in compend. nostro, & Societ: nec non ipsis Jesuitis vivæ vocis oraculo, à Pio V. ut ibidem refertur.

Reservati casus. *Reservatos* in qualibet Religione casus, videre possunt Regulares in suis constitutionibus; Reservatos autem *Bulla Cænæ* (quorum authentica copia, in quovis saltem Conventû Regularium haberi debet, ut antea dixi, agendo de absolutione) hic subjungere volui; priùs tamen reservatos inter Regulares ex mandato Clementis VIII. assignabo casus

casus, & sunt sequentes: 1. veneficia, incantationes, & sortilegia. 2. Apostasia à Religione, cum, vel sinè habitu. 3. nocturna & furtiva è Conventu egressio. 4. proprietas alicujus summæ, quæ sit mortale peccatum. 5. lapsus carnis, opere consumatus. 6. occisio, vulneratio, vel gravis percussio, cujuscunque personæ. 7. malitiosum impedimentum, retardatio, vel apertio literarum Superioris ad subditum, vel è contra, subditi ad Superiorem. 8. juramentum falsum coram legitimo Regulari judice. 9. procuratio, auxilium, vel consilium, ad abortum causandum. 10. falsificatio manûs, vel sigilli alicujus personæ in dignitate constitutæ, vel Conventûs, malo animo facta. 11. furtum rei notabilis, vel parvæ frequenter iteratum. 12. pollutiones voluntariè procuratæ. 13. inobedientia contumax. *Casus Clementis 8.*

Casus reservati Bullæ Cœnæ, anno 1622. publicatæ, sunt sequentes: *Primò*, hæresis, & lectio librorum, aut defensio eorundem, hæresim continentium. *Secundò*, Schisma contra Ecclesiam. *Tertiò*, Appellatio ad futurum Concilium. *Quartò*, devastatio maris Romani, piratarum more. *Quintò*, Surreptio bonorum Christianorum submersorum. *Sextò*, impositio novarum contributionum, in suis etiam terris, præter juris, & Sedis Apostolicæ dispositionem. Item impositio talium personis Ecclesiasticis, & etiam sic impositarum contributionum, sinè consensu Sedis Apostolicæ, acceptatio. *Septimò*, falsificatio literarum Apostolicarum. *Octavò*, subminis- *Casus Bullæ Cœnæ.*

ministratio armorum infidelibus, vel hæreticis, in præjudicium Christianitatis. *Nonò*, Impedire illos qui Romam victualia ferunt, vel ad Sedem Apostolicam recurrere volunt. *Decimò*, Læsio Cardinalium, Nunciorum, Episcoporum, & aliorum Papæ Officialium; vel illorum respectivè ejectio ex suis locis, & territorijs. *Vndecimò*, Appellatio à sententijs, vel literis Papæ, Nuncij, vel alterius Judicis Pontificij, in causis spiritualibus. Item impedire Conservatores Ordinum, quò minùs suâ utantur jurisdictione, secundùm Canones. Item appellare ab eorum sententijs ad Curias sæculares. *Duodecimò*, impedire executionem literarum Apostolicarum, vel ad hoc consilium vel auxilium dare. *Decimo tertiò*, usurpare indebitè fructus, seu jurisdictiones Ecclesiasticas. *Decimo quartò*, violare libertatem Ecclesiasticam. *Quomodo ab his Regulares* possunt absolvere, vide in verbo: *Absolutio*.

Sacramēta. *De Sacramentis*, fusè egi per 10. columnas in Oecodomia, seu prima parte hujus Manualis, & quomodo ea Regulares administrare, vi suorum privilegiorum possunt, ostendi antea in hac parte, agendo, de absolutione, confessione, Evcharistia, & Missa; sic de illis hic nihil occurrit singulare dicendum.

Sepultura. ASSERTIO VII. Fratribus Franciscanis, & Dominicanis, ex jure communi; alijs verò Regularibus per communicationem nobiscum, & etiam per specialia privilegia, competit jus, sepeliendi omnes Christifide-

fideles, in suis Ecclesiis (salvo tamen jure Parochialium Ecclesiarum) unde processionaliter intrare possunt, sub propriâ Cruce, Parochialem Ecclesiam; & per se accipere (in certis casibus) funus, aliàque consveta perficere, etiam Parocho contradicente.

Probatur 1. pars, ex Clement. *Dudum de sepult.* ubi expressè nobis illa facultas conceditur. *Probatur etiam 2. pars*, & primò de nobis, ex concessionibus Alexandri IV. anno 1261. *Virtute conspicuos.* apud Wading. in Reg: tom. 2. Bonifacij VIII. anno 1295. *in extravagante super Cathedram de sepulturis* (in quo libera nobis datur facultas, sepeliendi omnes, qui in Ecclesijs, vel cœmiterijs nostris sepulturam elegerint; quam constitutionem Generale Concilium Viennense renovavit, in Clement: *Dudum de sepulturis.*) Evgenij IV. anno 1446. in Bulla: *Dum salubria.* Pij V. nobis & omnibus mendicantibus, in Bulla: *Etsi mendicantium.* alijs etiam mendicantibus alij Pontifices, & ex jam nominatis, aliqui, idem jus concesserunt; ergo.

Dixi salvo jure, &c. quia ipsi Pontifices jam citati illam clausulam addunt, & meritò, Regulares enim Parochorum juribus se immiscere non debent.

Probatur 3. pars, quòd nimirum possunt intrare cum propria Cruce, tum quia concessa libera sepultura, censeri debet concessum iter ad funus capiendum, ut colligitur ex cap: *In nostra.* de sepult. Tum quia Sixtus IV. anno 1472. *in Mari magno nostro*, expressè concedit nostris fratribus, *ut nullius*

peti-

petitâ licentiâ Parochias & domos, in quibus sunt corpora illorum, qui apud nos sepulturam elegerunt, cum Cruce processionaliter possint intrare, & corpora ipsa (ubi Presbyteri requisiti de levatione, id facere recusârint) *levare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre.* Idem concessit Julius II. anno 1506. Minimis in Bulla: *Dudum ad sacrum.* apud Cherubin. hoc idem de potestate Regularium, circa elevationem cadaveris, Parocho maliciosè recusante venire, declaravit sacra Congregatio, 11. Decemb: anno 1615. ut videre est apud Toran: verbo, *Cadavera.*

Ulteriùs de potestate Regularium in materia sepulturæ, hæc sunt observanda: *Primò*, hæredibus licere, pro associandis cadaveribus suorum, ad Ecclesias Regularium, invitare quos volunt Religiosos,& Parochos. Ita declaravit sacra Rit. Congregat: 12. Novemb: anno 1637. apud Peirin tom. 3.

Parochi non possunt majorem prætendere eleemosynam.

Secundò, nec Parochos, nec Vicarios, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ, majorem prætendere posse summam ab ijs, qui in Regularium sepeliuntur Ecclesijs, quàm peterent, si in illorum sepeliendi essent Parochialibus Ecclesijs. Ita expressè mandavit Pius V. apud Cherub: in Bulla: *Etsi mendicantium.* sacra Rit. Congregatio, 21. Novemb: 1637. decrevit. Et Vrbanus VIII. anno 1645. in Bulla: *Cùm sicut.* (quæ est 2. inter constitutiones, quas Vigus adjecit operibus Peirini) expressè ordinavit. Lege Peirin. tom. 3. n. 2.

Tertiò, in Ecclesijs Regularium, ad ipsos Regu-

Regulares spectare officium pro defunctis facere, ut declaravit post Pij V. jam citati, in Bulla; *Etsi mendicantium.* ordinationem, sacra Congregatio Rit: 12. Novemb: an. 1637 & 11. Novembr 1641. apud Peirin. & Lucernam, verbo, *Officium.*

Quartò, cadavera, quæ in Regularium Ecclesijs sepeliri debent, recto tramite ex domo deferri debere ad Ecclesias Regularium, sinè eo, quòd priùs deferantur ad Ecclesiam Parochialem. Ita in favorem fratrum nostrorum in Ungaria, anno 1399. Bonifacius IX. ordinavit, in Bulla: *Dum sancta.* apud Wading: & in favorem eorundem fratrum Provinciæ Bosnæ, anno 1446. Evgenius IV. in Bulla: *Dum salubria.* apud Wading: tomo 5. Annal: ad annum 1446. n. 11. nec non Innocentius X. anno 1645. die 6. Febr. in Bulla: *Expons.* cujus originale habetur in Rhedonensi Archivio, Patrum Carmelitarum.

Quintò, Regulares tenentur ad Parochialem accedere Ecclesiam (nisi ubi consvetudo in contrarium recepta est) & exinde cum Parocho ad domum, vel Ecclesiam, ex qua cadaver est asportandum, pergere. Ita censuit sacra Congregatio Regul: 26. August: anno 1616.

Sextò, unicuique sæcularium licitum esse eligere sepulturam, ubi placuerit. Ita concesserunt, Clemens IV. & Bonifacius IX. ut refertur in nostro compend. verbo: *Sepultura.* & declaravit sacra Congregatio Rit: 20. Januarij, anno 1640.

Septi-

Septimò, illos esse sepeliendos in nostris Ecclesijs, & palàm sinè ullo desuper coopèrimento, qui petierunt sepeliri in habitu, illóque post mortem, vestiti sunt.

Octavo, jure communi, in cap. *animorum periculis de sepult. in 6.* & Bonifacij VIII. constitutione, *sub maledictionis aeternae, ac excommunicationis poena*, prohibitum esse personis omnibus Ecclesiasticis, sive saeculares sint, sive Regulares, nè svadeant, aut inducant aliquem ad vovendum, vel promittendum, ut apud suas Ecclesias, eligat sepulturam; vel jam electam mutet, &c.

Quinam sepulturâ privantur.

Nonò, personae quibus Ecclesiastica denegari debet sepultura, sunt hae: *Primò*, decimarum injusti detentores. *Secundò*, blasphemi impoenitentes. *Tertiò*, morientes in mortali peccato absq; ullo doloris signo. *Quartò*, Usurarij, manifestè impoenitentes. *Quintò*, nominatim interdicti, vel tempore interdicti decedentes (excipe privilegiatos). *Sextò*, infideles, pagani, Judaei, & haeretici. *Septimò*, occidentes se ipsos, si certò constat ex desperatione id contigisse. *Octavo*, morientes sinè baptismate. *Nonò*, morientes in duello, sinè poenitentia. *Decimò*, Monachi morientes proprietarij. De his vide Rodericum juniorem, Resol: 127. & seniorem tom. 3. q. 61. art, 1.

Decimò, cadavera defunctorum, subtus altaria, vel eorum Bradellas, sepeliri nequeunt, & si quae ibi sepulta sunt, inde in alium Ecclesiae locum deferri debent; interim super altare tale celebrare non licet. Ita de-

cla-

claravit sacra Congregatio Rituum 6. Septemb. anno 1591. & die 8. Febr: an. 1594. apud Naldi. versu: *Sepultura.* & Scort. in select. Bull: Theor: 219. Hæc decreta in nostris hisce Germaniæ partibus, usu recepta non sunt, nam in multis Ecclesijs, subtus altaria defuncti sepeliuntur, sicut in hac nostra Nivensi Ecclesia fieri solet.

ASSERTIO VIII. Stigmata sancti Patris nostri Francisci, miris laudibus extolluntur in Bullis tot Pontificum, in nostro compend. videndis, ubi etiam citatur constitutio Sixti IV. qua *sub excommunicatione inhibuit, ne ullius Sancti, vel Sancta, Beati, vel Beata, figura, seu imago, pingatur cum stigmatibus, excepta imagine S. Patris nostri Francisci,* & insuper sub eadem pœna, ac alijs censuris mandat, *omnibus Prædicatoribus verbi Dei, ne scripto, aut verbo, audeant coram populo asserere, ullum Sanctum, vel Sanctam hujusmodi stigmata habuisse, præter solum Franciscum, quia* (inquit Pontifex) *si S. Catharina Senensis habuisset stigmata, Pius II. qui eam canonizavit, ac virtutum aliarum, ipsius prærogativas in sua Bulla, luculentissimè declaravit, specialem de hoc singulari privilegio fecisset mentionem.* *Stigmata S. Francisci.*

ASSERTIO IX. Syndicus Minorum, seu ut vocant in his partibus, *Parens spiritualis*, à Ministro Provinciali Sedis Apostolicæ (cujus est substitutus) nomine, eligendus est. *Syndicus.*

Cùm autem in hoc Bohemia Regno, sicut & in Moravia, & Silesia, Viri etiam Excellen-

tissimi & Illustrissimi (Conventûs seu Collegij Pragensis ad S. Ambrosium, Patrum Hibernorum modò Syndicus, seu Pater spiritualis est Illustrissimus & Excellentissimus Dominus, D. Maximilianus S. R. I. Comes à Martinitz, Sac: Cæs: Maj: Intimus Consiliarius, & Camerarius actualis, nec non Regni Bohemiæ Supremus Præfectus. Item noster, in hoc Conventu ad Nives, Pater spiritualis est, Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus, D. Guilielmus, S. R. I. Comes à Colowrat, Sac: Cæs: Maj: Consiliarius, Camerarius, nec non Regni hujus, Supremus Judex, (cujus Substitutus est, Nobilis, ac Generosus Dominus Simeon Hesselius, Neocivitatis Pragensis Cancellarius) Conventuum nostrorum, sicut & Capucinorum, sint Syndici, & spirituales Parentes sic de gratijs, & privilegijs illis à Sede Apostolica concessis, aliquid subjungere volui. Itaq;

Maximilianus Comes à Martinitz.

Guilielmus Comes à Colowrat.

Simeon Hesselius.

Observa 1. quòd in quovis Franciscanorũ Conventu, & loco, debet assignari à Provinciali, Pontificis nomine, Syndicus, cui omnis pecuniaria eleemosina, & alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, à Guardiano consignari debent. Ita statuerunt, Nicolaus III. Clemens V. & Martinus IV. & V. sub gravissimis pœnis.

Syndicorum nostrorum potestas.

Secundò, ad præfatum Syndicum (prout jam nominati Pontifices declarârunt) spectat, vendere, commutare, & alienare res omnes fratribus concessas, quoties opus erit, & à Superioribus exigetur ipsius ad hoc assistentia.

Ter-

Tertiò, Syndicos noſtros, illorúmque ſubſtitutos, liberos, parentes, fratres, ſorores, & uxores, poſſe lucrari omnes indulgentias ſtationum Romanæ aliásque omnes indulgentias Fratribus Franciſcanis, & Monialibus noſtris conceſſas, illis diebus', dicendo tantùm pro ſe, & S. R. Eccleſiæ ſtatu, quinque *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*, in noſtris Eccleſijs. Ita conceſſit Innocentius VIII. vivæ vocis oraculo, ut videre eſt in Speculo Min: tract. 1. fol. 43. & apud Roder: *Indulgentiæ & gratia illis facta.*

Quartò, Syndicum noſtrum, ejúsque uxorem, filios & filias, frui ſemper, & gaudere omnibus indulgentijs, gratijs, peccatorum remiſſionibus, & favoribus, quibus fratres noſtri, de Obſervantia, quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent. Ita expreſsè conceſſit illis Clemens VIII. anno 1596. in Bulla: *Dum conſideramus.* apud Cherub: & Rodericum. *Gaudent noſtris privilegijs, & indulgentijs.*

Quintò, Idem Pontifex in eadem Bulla conceſſit, noſtris Syndicis, ut in cauſis quibusvis, & rebus ipſos concernentibus, & mixtis, non niſi coram judicibus conſervatoribus Conventuum noſtrorum, quorum ſunt Syndici, de juſtitia comparere teneantur.

Sextò, in eadem Bulla ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, univerſis & ſingulis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis, quacunque authoritate fungentibus, nè de cauſis contra dictos Syndicos motis, & movendis, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, ſeu prætextu, ſe intromittere quomodolibet, de cætero audeant, vel, præſumant.

Septimò, hoc sacræ Congregationis decretum ad Episcopum Fanen: directum observa:

Observa hoc decretum.

Nella ultima Congregatione, è stata presa risolutione da questi Eminentissimi miei Signori, che nelle cause de Sindici, dè Fratri di S. Francesco, Min: Observanti, si deve asservare la Bolla di Clemente VII. S. memoria, che concede l'essentione ad essi Sindici, del foro Laicale, & in questa conformità potera V. S. Governersi nella causa, del Sindico di Carteccero, luogo di coresta diocese, qui à V. S. prego ogni bene. Roma 31. Maggio, an. 1639. di V. S. come fratello.

Io: Bapt: Card: Pamphilius.
Francesco Paolucci Segr. della sacra Congreg: &c.

Non ignoro multa alia privilegia, etiam in Ordine ad forum Laicale, Syndicis nostris à tot Summis Pontificibus, ac Regibus, maximè Hispaniarum, & Lusitaniæ, esse concessa, inter quæ est exemptio ab omnibus gabellis, & contributionibus; sed quid deberem illa commemorare hoc præsertim tempore quo soli Franciscani, à contributionibus sint exempti. Legatur præcitata Bulla, & nostri Illustrissimi, & Excellentissimi Domini Syndici, sint pro laboribus contenti, gratiis spiritualibus, sibi à Pontificibus concessis.

Successio in bonis.

ASSERTIO X. Ordines Regulares, exceptis Franciscanis de Observantia, & Capucinis, succedere possunt parentibus in ijs omnibus bonis, quæ ad illos, si in sæculo permanerent, spectarent; unde liberè & licitè, non obstante professione, possunt illa

petere, retinere, & vendere. Ita Cisterciensibus concessit Innocentius IV. an. 1246. in Bulla: *Devotionis*, apud Cherub. Prædicatoribus, & Conventualibus nostris, Clemens IV. an. 1265. in Bulla: *Obtenta.* apud eundem. ergo.

ASSERTIO XI. Taurorum agitationi, sub excommunicatione prohibitum est Regularibus adesse. Ita prohibuit Pius V. omnibus personis, etiam sæcularibus, anno 1567. & Gregorius XIII. in sua moderatoria constitutione, prædictæ Pij Bullæ, an. 1575. & denique Clemens VIII. an. 1596. in Bulla: *Nos considerantes.* quâ abstulit excommunicationem, & censuras à Pio V. contra sæculares, & Ordines militares latas, & solos Regulares illis ligari voluit. Vide Roder: tom. 3. q. 68. & juniorem Resol: 133. qui in hac materia nimis scrupulosus est, nam seclusо inobedientiæ peccato, nullum video majus malum in hoc, quòd Religiosus, ex honesto loco, aspiciat illum lusum, quàm si aspiceret venationem Cervi, vel Ursi: deinde si est tale mortis periculum in agitatione Taurorum, meritò Religiosi adesse deberent; sicut in pugnis, & conflictibus, solent adesse, ut possint succurrere statim per absolutionem, si periculum mortis instaret extremum. Viderint Hispani, qui soli illis censuris ligantur, quid in hoc sit faciendum.

Taurorum agitatio.

ASSERTIO XII. Prælatis nostris licet vestire utriusque sexûs personas habitu Tertij Ordinis S. Francisci. Hujusmodi Tertiarij in communi viventes, professionemque

Tertiarij Minorum.

emittentes, juxta approbatam à Sixto IV. Regulam, veri sunt Religiosi, gaudentes omnibus privilegijs, exemptionibus, gratijs, & indulgentijs concessis fratribus mendicantibus; secus dicendum est de Tertiarijs in suis domibus viventibus, nam hi nec Religiosi sunt, nec exempti à tributis, aut sæculari potestate.

Probatur 1 & 2. *pars*, tum quia tria Regularium essentialia vota publicè emittunt. Tum etiam ex concessione Bonifacij IX. anno 1397. in Bulla: *Insinu sedis*, apud Confert. Joannis XXIII. anno 1413. in Bulla: *Personas*. apud Wading. in Reg. tom: 5. (in qua Pontifex supra assignatas in conclusione facultates, & gratias extendit *nominatim ad fratres*, & *sorores Tertij Ordinis S. Francisci in Hibernia*.) Sixti IV. anno 1473. in Bulla: *Sacrosancta*. apud Roder. & Confert. & maximè Pij V. anno 1568. in Bulla: *Ea est officij*. in qua, ut jacet, docetur conclusio, & sic ultima pars manet probata; nam Tertiarij extra communitates viventes, gaudent tantùm nostris privilegijs, quoad indulgentias, & absolutiones.

Testamentum. *De testamentis* vide quæ de legatis dixi Col. 8. Assert. 3. & lege Portel: verbo: *Testamentum*. & Roder. tom. 3 q. 69. Interea *adverte* 1. prohibitum esse Religiosis, post professionem condere testamentum, *ex cap: 2. de testament. in 6. cap: quia*. 19. q. 3. *Secundò*, Religioso professo non licere irritare, aut alterare testamentum a se ante pro-

fessi-

fessionem conditum. *L. 1. ff. de testament.* potest tamen dubia sui testamenti verba explicare, & quam habuit mentem aperire. *Tertiò*, Religiosos posse ritè esse testes in testamento, de licentia Prælati *cap: Nuper. 51. de testibus.* *Quartò*, Regularem non posse esse executorem testamenti sub nullitate ipsius. Cap: *Religiosus. de testamento, lib. 5.* Clement. *Exivi. §. verùm. de verbo significat.* *Quintò*, Papam posse Religioso facultatem dare testandi, ut omnes concedunt.

ASSERTIO XIII. Vicarij in Ordine Min: à Capitulo, vel Provinciali instituti, tempore quo præsident in absentia Guardiani, possunt ea omnia peragere in Ordine ad Regimen Fratrum, quæ ipsi Guardiani poterant. Hæc est communis, & patet, tum ex praxi Provinciarum Ordinis, tum ex statutis, quibus taliter institutis, facultas talis conceditur. *Vicarij Minorum.*

Visitatores in nostro Ordine, qui singulis trienniis à Reverendissimo P. Generali, vel Generali Familiæ Commissario, ad Provincias visitandas destinantur, hæc observare debent: *Primò*, debet Visitator Provinciali personaliter, seu per literas statim ac in Provinciam venit, suam commissionem ostendere. *Secundò*, eidem Provinciali debet statim unum assignare Conventum, ex minùs principalioribus Provinciæ, in quo manere debet, usque dum visitat totam Provinciam, diligenterque inquirat, qualiter se Provincialis gessit. *Tertiò*, durante suâ visitatione, *Visitatores Provinciarum.*

ne, non debet, novitates ullas contra consvetudines, & Provinciæ statuta, introducere in Conventibus, nisi ad hoc speciale haberet Generalis mandatum, & hoc sub privatione actuum legitimorum, ut decretum fuit anno 1529. in generali Capitulo Parmensi. *Quarto*, sub excommunicationis pœna Pontifici reservata, ac privatione actuum legitimorum, nec non vocis activæ, & passivæ, tenentur Superiores & subditi Provinciæ, ad quam Visitator mittitur, illum acceptare, eique ita obedire, ut nullatenus resistant, aut contradicant, in ullo casu, quo sui officij limites non excederet (sicut dixi in materia electionis) ita mandavit Gregorius XIII. die 8. Aprilis, anno 1575. in Bulla: *Quoniam nostro.* *Quinto*, debet Visitator diligenter in sua visitatione procedere, juxta decreta Tridentini Sess: 25. cap: 22. de Regul: & maximè in actu electionis Provincialis, debet sibi attendere, nè suam excedat commissionem. Unde Rodericus tom: 2. q. 4. per totum, nec non statuta nostra Vallisoletana, tit: de Visitatore.

De Voto egi satis Columnâ 2. hujus secundæ partis, meæ Manualis Summæ, sic non restat modò, nisi ut DEO meo, à me emissum reddam votum. Gratias igitur, ago Vni Trinóque DEO, cujus speciali auxilio adjutus (non obstantibus varijs obstaculis) finem tandem imponere potui

tui huic operi; quod ut cedat in ipſius ſanctiſſimi nominis gloriam, Virginis ſinè labe conceptæ, honorem, Sanctorum, Franciſci, Antonij, Bonaventuræ, Patritij, & Wenceslai laudem, nec non Religioſorum omnium, maximè hujus almæ Provinciæ Bohemiæ commodum, & utilitatem animitùs opto.

EPISTYLIVM PROBLEMATICVM COLVMNÆ X.

An principium ſit fine jucundius?

NB.

Privilegia magna, & ſingularia, S. Ord: Ciſtercienſium, jam, jam, ad meas pervenerunt manus; & quia inter illa (lucem, quam merentur publicam, brevi, prout à Viro intellexi magno, non abſque Regularium. poteſtatem quaſi Epiſcopalem habentium, magnâ utilitate, videbunt) plurima deprehendi, quibus, malè intellectus, in meo de privilegijs tractatulo, adverſari videri poſſem; ſic Lectorem moneo, me nihil minus cogitáſſe; unde quæ de Prælatorum poteſtate, & Abbatiſſarum electione ſcripſi, ſano ut intelligantur ſenſu, opto.

IN-



INDEX RERUM
ET MATERIARUM.

A.

Calix

C.

D.

Elec-

E.

F.

G.

H.

Here-

INDEX.

Magia.

M.

N.

O.

P.

Peju-

INDEX.

Sacri-

S.

T.

V.

Impreſsio hæc finita eſt
13. Martij, 1664.